De nova comoedia quaestiones onomatologicae.

DISSERTATION

ZUR ERLANGUNG DER DOKTORWÜRDE

BEI DER PHILOSOPHISCHEN FAKULTÄT

DER GROSSHERZOGLICH HESSISCHEN LUDWIGS-UNIVERSITÄT

ZU GIESSEN

EINGEREICHT VON

KARL GATZERT

GEBOREN IN NIDDA.



GIESSEN 1913

Druckerei Christ & Herr.

De nova comoedia quaestiones onomatologicae.

DISSERTATION

ZUR ERLANGUNG DER DOKTORWÜRDE

BEI DER PHILOSOPHISCHEN FAKULTÄT

DER GROSSHERZOGLICH HESSISCHEN LUDWIGS-UNIVERSITÄT

ZU GIESSEN

EINGEREICHT VON

KARL GATZERT

GEBOREN IN NIDDA.

GIESSEN 1913

Druckerei Christ & Herr.

Genehmigt durch das Prüfungskollegium
am 5. VI. 1912.
Referent: Dr. Körte.

Nomina personarum, in comoediis dumtaxat, habere debent rationem et etymologiam.
Donatus ad Ter. Ad. I 1,1.

Novae comoediae poetas inventione multo inferiores esse antiquis inter omnes constat. Hi semper fere nova argumenta mira ingenii ubertate fingunt, illi eadem iterum atque iterum recoquunt, non tam fabulis narrandis quam moribus describendis dediti. At non solum argumenta comoediarum inter se simillima sunt, sed etiam nomina personarum eadem saepissime repetuntur. Antiqui enim poetae aut vera nomina certorum hominum in re publica vel in litteris versantium, quos cavillantur, in scaenam inducunt, aut nova Atheniensibus inaudita fingunt, quibus mores personarum illustrant, ut *Δικαιόπολις*, *Φιλοκλέων*, *Βδελυκλέων*, *Τρυγαῖος*, *Πειθέταιρος*. Novi poetae, cum non certos homines illudere, sed omnibus aequalibus vitae speculum proponere studeant, neque certorum hominum nomina inducere neque nova ab usu Attico aliena fingere possunt. Eligunt igitur nomina Attica tam vulgata, ut nemo civis Atheniensis comoediae personae nomine se a poeta peti credere possit.

Atque ut in vestiario theatrali singulae personae cum vestibus scaenicis promptae iacebant (cf. Poll. IV 143) e. gr. *ἡγεμὼν πρεσβύτης*, *νεανίσκος πάγχρηστος*, *νεανίσκος ἁπαλός*, *θεράπων οὖλος*, sic nominum quoque habebant poetae quasi vestiarium, e quo singulis personis nomina apta promebant. Spectatores cum nomina tantum Lachetis et Moschionis audiebant, iam sciebant illum senem esse, hunc adulescentem. Quas autem rationes poetae in nominibus indendis secuti sint, in hac dissertatione accuratius perquirere mihi propositum est.

Ac primum quidem quaeramus, num etiam in antiquae comoediae fabulis nomina inveniantur, quae non tam ad certum hominem, quam ad genus quoddam referantur et ad id ipsum plus quam semel usurpentur. Nam id quoque ad novae comoediae usum pertinet, num in antiqua comoedia principia atque initia repperiantur, ex quibus consuetudo novae comoediae poetarum profecta esse possit.

Ac re vera invenimus nomina senum, mulierum, meretricum, servorum servarumque, quorum rationem similem esse novae comoediae me probaturum esse spero. Incipiamus a senibus.

Omnibus iis locis, quibus poeta choreutas nominat, non verisimile est eum certum virum vero nomine appellare, sed nomine ficto uti, quo tamquam certum aliquem allocutus sit. Qua opinione confirmamur, si nonnulla eorum nominum non esse Attica cognoscimus. Non desunt autem nomina, quae semel et ad certos mores indolesque depingendos adhibentur velut Acharnenses carbonarii *Μαριλάδης*, *Ἀνθράκυλλος*, *Εὐφορίδης*, *Πρινίδης* (609 ss.): quae hoc loco non respicimus.

Δράκης choreuta Lys. 254 et Eccl. 294 (una cum Charitimide et Smicytho) a coryphaeo nominatur. Draces non est nomen Atticum et Fick-Bechtel[1]) p. 103 dubitat, ad quam stirpem (*δράκων*?) attineat. Nomen alio loco non inveni nisi in Aeliani ep. rust. 4, ubi est nomen eius, cui epistula mittitur, sine dubio ex Aristophane haustum. Cur Aristophanes hoc nomen deligerit, non perspicuum est, sed ex iis quae sequuntur nominibus concludendum est poetam quolibet nomine uti, ut significet quendam ordinis choreutarum. Quos choreutas cum alter ab altero non differret, difficile erat singulos nomine insigni afficere, nisi e totius chori indole nomina finxit poeta ut in Acharnensibus l. c.

---

[1]) Die griech. Personennamen² 1894.

Vesp. 230 choreutae nomen est *Κωμίας*, quocum componere possumus *Κωμαρχίδης* Pac. 1142. Utrumque nomen Atticum est, etiamsi *Κωμίας* solum invenitur in titulo IG II 803 e 45. Exstat *Κώμαρχος* cf. Pros. Att. 8954. Recte monet Sondag (de nom. apud Alciphronem prop.) p. 13 contra Fick-Bechtel p. 182 nomen referendum esse ad *κώμην*, non ad *κῶμον*. Quam vim nominis ad *κώμην* pertinentem etiam Aristophanes in ponendo nomine videtur sensisse[1]). Item est nomen *Κωμαρχίδης* rusticum apud Alciphronem ep. II 29 et Aelianum ep. 2.

Nomen *Λάχης* cum Vesp. 240 (cf. 895) certum virum in re publica versatum (cf. Pros. Att. 9019) significet, Lys. 304 dictum est de choreuta nulla re insigni, unde nescio an novae comoediae usus huius nominis profectus sit. 19 viros huius nominis enumerat Kirchner Pros. Att. 9009-27. cf. p. 17.

Σμικυθίων Vesp. 401 una cum Tisiade Chremone Pheredeipno a Philocleone appellatur, Eccl. 46 maritus est Melistichae. Quocum componas *Σμίκυθον* choreutam Eccl. 294, quem alloquitur una cum Charitimide et Dracete coryphaeus. Smicythe Equ. 969 et Smicythio Pherecratis fr. 32 num huc pertineant, non certum est. Et Smicythio et Smicythus sunt nomina Attica usitata cf. Pros. Att. 12766 ss. Atque quod nos probare volumus, iam Richter in editione Vesp. a. 1858 facta sensit ad versum 401 scribens: „quattuor senum nomina . . , non choreutarum tantum, ut bene monuit scholiasta, [scil. choreutarum esse], sed senum omnium, qui in iudicando victum quotidianum parant". Licet poeta nomine ficto Pheredeipni significet heliastas e mercede iudiciali victum quaerere, in Smicythionis nihil inest, quod non ad quemlibet senem quadret.

Notatu dignum est nomen *Στρυμόδωρος*, quod gerit Ach. 273 servae Thraciae dominus, Vesp. 233 et Lys. 259 choreuta.

---

[1]) At pictori vasculari Euthymidi, qui homini saltanti poto (Gerhard Ausg. Vas. 188) adscripsit *Κώμαρχος* in animo fuisse stirpem *κῶμον* recte dicit Kretschmer (Vaseninschriften p. 231).

Nomen non est Atticum, sed redolet Thraciam, si in animum vocas fluminis nomen Στρύμων. Solum in Demosthenis oratione 36,29 invenio argentarium Aeginensem huius nominis. Cum Ach. 273 res sit de serva Thratta, poeta forsitan nomen posuerit Strymodori, ut servaret colorem Thracium. Sed certe duobus aliis locis simulat hoc nomen esse Atticum. Qua de causa elegerit, nescio, sed non certum quendam petere pro certo habeam.

A nomine Φείδων, quod Nub. 134 est avo Phidippidis non sine causa inditum, iam incipit usus, de quo p. 11 agam.

Quod apud Eupolidem fr. 206 unus spectatorum, qui aliquam πόλεων nimis cupide intuetur, Φιλῖνος vocatur, hoc recte interpretari puto Steigerum[1]) p. 13, qui id ex re inditum, si revocas ad φιλεῖν, dicit. Sed hoc nomen magis adulescenti idoneum non in certum usum venit, sed et senibus et adulescentibus datur, id quod postea videbimus.

Χαρινάδης Vesp. 232 choreuta est, Pac. 1155 aliquis, quem choreutae ad se vocare volunt. Quod Suidas ad nomen scribit ex Vesp. 232 sumptum est. Charinades nomen in Attica adhuc non inventum pertinet ad χάρις cf. Fick-Bechtel 289. Simile nomen est Χαριτιμίδης, quo Eccl. 293 vocatur choreuta; sed hoc est Atticum cf. Pros. Att. 15497 (a. 459). Simili a stirpe atque altera huius nominis pars ductum est nomen choreutae senis Τεισιάδης Vesp. 401. Hoc quoque Atticum est cf. Pros. Att. 13468 (a. 340).

Χρέμης senex Eccl. 477 et huius nominis forma hypocoristica (cf. Fick-Bechtel p. 320) Χρέμυλος senex Plut. 336, 1171 (cf. 1066: γέρων ἀνὴρ ὤν), occurrunt. Haec nomina, quae utroque loco non certum Aristophanis aequalem, sed senem fictum significant, quasi sollemnia facta sunt in media et nova comoedia. Chremetis nomen est Atticum, non

[1]) Der Eigenname i. d. att. Kom. acta Sem. phil. Erlang. V, 1891, 1.

ita Chremyli, quod autem in titulis Ionicis quinti saeculi (Ion. Inschr. 19, 152) invenimus.

Haec sunt senum nomina, quae in Aristophanis fabulis plus semel occurrunt, ita ut ea quasi typica fuisse concludere possimus.

Ut summam faciamus, intellegi potest ex supra dictis nonnulla nomina senum inprimis choreutarum posita esse, non ut certos quosdam poeta significaret, sed ut notaret in universum aliquem certi ordinis, qui per se hoc nomine vocari posset. Nomen igitur, quod eligit poeta, est *οἷον ἂν γένοιτο, κατὰ τὸ εἰκός* inditum, si illud Aristotelis dictum huc referre licet. Primum nomen huius farraginis occurrit in Acharnensibus (Strymodorus), alia in Nubibus (Phido), in Vespis non minus quam 4 (Comia, Smicythio, Strymodorus, Charinades), in Pace 2 (Comarchides, Charinades), deinde in Lysistrata 3 (Draces, Laches, Strymodorus), in Ecclesiazusis 4 (Draces, Smicythio, Smicythus, Chremes), in Pluto 1 (Chremylus). Ea nomina, quae postea in usum comoediae venerunt, Phido, Laches, Chremes in Nubibus, Lysistrata, Ecclesiazusis exstant. Sane concedendum est poetam nonnulla nomina ab usu Attico aliena induxisse, cuius rei causam me non perspicere confiteor.

Mulierum nominum hoc loco haec solum proferamus, quae postea in usu comoediae fuerint.

Μυρρίνη nomen Atticum, postea usitatissimum in comoedia, iam ab Aristophane in Lysistrata (cf. 70, 850, 874, 872 *Μυρρινίδιον*, 906 *Μύρριον*) uni ex mulieribus datur. Cf. simile nomen *Μυρτία* Vesp. 1396.

Σωστράτη Vesp. 1397 et Eccl. 41 nomen est mulierum non certo consilio electum. Cf. p. 28.

Φίλιννα hoc quoque nomen Atticum Nub. 684 quasi exemplum nominis mulieris profertur Hegemonisque fabulae titulum dedit (I 700).[1]) Sed fortasse in hac fabula nomen

[1]) Fragmenta comicorum affero secundum Kock, C. A. Fr.

meretricis fuit. Cf. Breitenbach de genere quodam titulorum com. Att. p. 119. Cf. p. 29.

Inde referamus animum ad meretricum nomina, quae in antiquae comoediae fabulis invenimus. Quorum plurima certas meretrices poetarum aequales spectant. Quamquam nonnulla horum nominum postea in comoedia usurpata sunt, tamen ea semper de certis personis in vita versantibus ab antiquis poetis dicta sunt. Atque ex omnibus antiquae comoediae meretricum nominibus unum Elaphii Aristophanis Thesm. 1172 generi typicorum, quae dicere liceat, nominum inseri posse mihi videtur. Puto enim poetam nomen non de certa sumpsisse, sed ut saltatricis aptum eligisse, ut mulier ipso nomine se praeberet meretricem.

Nonnulla servarum servorumque nomina reliqua sunt, quae tractentur.

Δαρδανίς tibicina Aristoph. Vesp. 1371 nomen ducit a gente Dardania et ea de causa potest haberi in numero typicorum nominum. Num Menandri et Caecili titulus Dardanus servum significet, non potest discerni, sed verisimile est. *Δαρδάνα* servae nomen est Delph. Freil.-Urk. 2194.

Idem cadit in nomen *Θρᾶττα*, quod est servae Aristophanis Ach. 273, Vesp. 828, Pac. 1138, Thesm. 279, 280, 284, 293. Alio loco nomen invenitur, ut exempla dem, servae in Aeliani ep. 19, peregrinae in tit. IG II 773,14 (*Θρ. καπηλίς*), quocum componas nomen *Θρεΐσσα* servae in Herodae mim. I 1.

Item iudicandum est de nomine *Μανία* Aristophanis Thesm. 728, 739, 754, Ran. 1345 et Amipsiae fr. 2 commemorato; est autem Phrygicum (cf. p. 10), quod etiam apparet e titulo I G II 2738, ubi est mulieris Ancyranae. Servae nomen esse potest I G II 836, 15, in catalogo donorum in Aesculapi templo consecratorum.

Σηκίς in Pherecratis fr. 10:

οὐ γὰρ ἦν τότ' οὔτε Μάνης οὔτε Σηκὶς οὐδενὶ δοῦλος

nomen proprium videtur esse, cum alio loco significet

vernulam. *Σακίς* in fr. 125 (Kaib.) Epicharmi proprii servae nominis loco adhiberi videtur. Cf. etiam Vesp. 768, quem ad versum adnotat scholiasta: *Σηκίδα τὴν κατ' οἶκον θεράπαιναν λέγουσι καὶ σεσημειῶσθαί τινας, ὡς ἀπεκδεχομένων τινῶν τὴν Σηκίδα ὄνομα.* Si poeta appellativum in proprii locum promovet, certe id typicum esse vult. Cf. Lambertz, griech. Sklavennamen (57. u. 58. Jahresbericht des k. k. Gymn. VIII zu Wien) I p. 46.

Nomen *Σύρα* servae primum Aristophanis Pac. 1146 scriptum videmus, postea saepius apud comicos.

Invenimus igitur apud Aristophanem Pherecratem Amipsiam 5 servarum nomina, quae inter typica habenda sunt: in Acharnensibus 1 (Thratta), in Vespis 2 vel 3 (Dardanis, Thratta, Secis), in Pace 2 (Thratta, Syra), in Thesmophoriazusis 2 (Thratta, Mania), in Ranis 1 (Mania), apud Pherecratem 1 (Secis), apud Amipsiam 1 (Mania), ergo inde a principiis comoediae Atticae talia occurrunt; iam apud Epicharmum 1 (Sacis) invenitur.

Denique ad servorum nomina vertamur. Ach. 860 Boeotus quidam scaenam introit cum servo, cui Aristophanes nomen dedit *Ἰσμηνίας* (v. 954 *Ἰσμήνιχος*). Hoc nomen non Atticum in Boetia saepe usurpatum Aristophanes elegit, ut servus ille patriam iam in nomine prae se ferret, quamquam Boeoti ipsi vix servos ab heroe celeberrimo nominaverunt.

In Pluto Chremyli servo nomen est *Καρίων* (v. 624), quod in comoediae usu fuisse vel ex loco orationis Aeschinis II 157 (a. 343 habitae) cognoscimus: *ὁ τοὺς Καρίωνας καὶ Ξανθίας ὑποκρινόμενος.* De omnibus his nominibus, quae etiam in media et nova comoedia occurrunt, postea suo quoque loco planius agamus.

Μάνης usitatum servi nomen esse ex antiqua comoedia ipsa cognoscitur. Apud Aristophanem occurrit Pac. 1146, Av. 523, 1311, 1329, Ran. 965. Ex his locis affero Av. 522 s.:

οὕτως ὑμᾶς πάντες πρότερον μεγάλους ἁγίους τ' ἐνόμιζον,
νῦν δ' ἀνδράποδ' ἠλιθίους Μανᾶς.

In his versibus paene appellativum est. Item non parvi interest inspicere Pherecratis fr. 10, quod videas sub *Σηκίς* p. 8.

Ab eadem stirpe ductum est *Μανόδωρος* servi nomen Av. 657.

Manes est nomen Phrygicum dei cuiusdam cf. Herod. IV 45. I 94. Hoc in nomine ex fragmentis ipsis sollemnem usum demonstrare possumus.

Μίδας Vesp. 433. Hoc nomen servis in usu fuisse postea demonstrabimus Cf. p. 48. Sed nomen *Μασυντίας* simul allatum libere fictum videtur, si respicis vocem *μασᾶσθαι* et Hesychi glossam: *Μασύντης παράσιτος*.

Ξανθίας servi persaepe apud Aristophanem vocantur Ach. 243, 259, Nub. 1485, Vesp. 1, 136, 456, Av. 656, Ran. 271, 524, 543, 579, 583 blande *Ξανθίδιον*. cf. 499 *Ἡρακλειοξανθίας*. Etiam Cephisodori fr. 3 nomen exstat. Deinde cf. locum Aeschinis II 157, quem sub *Καρίων* p. 9 exscripsi. Santhia litteris Oscis scriptum est in vase Nolano (Arch. Zeit. VII (1849), tab. 4,2), idem exstat in vasis phlyacicis. Cf. Heydemann Arch. Jb. I p. 260 ss. D et x., vid. A. v. Salis, de Doriensium ludorum in comoedia Attica vestigiis p. 25 ss.

Παρμένων servus Eccl. 868 nominatur. Cf. p. 49.

Etiam *Παφλαγών* Equ., quod nomen ad Cleonem spectare constat, huc pertinet cf. v. 2.

Nomen *Πυρρίας* apud Aristophanem Ran. 730 invenitur, ubi servi nomen dici certum est, qua de causa potius maiuscula littera prima scribam:

τοῖς δὲ χαλκοῖς καὶ ξένοις καὶ Πυρρίαις
καὶ πονηροῖς κἀκ πονηρῶν εἰς ἅπαντα χρώμεθα.

In Pherecratis fr. 145, 21 Timotheus Milesius poeta dithyrambicus appellatur *Μιλήσιός τις Πυρρίας*, quod in servi nomen iocatur.

Σίκων servi nomen est Aristophanis Eccl. 867. Titulus *Αἰολοσίκων* (I 392) iam pertinet ad mediam comoediam. Ad hanc fabulam fortasse spectat Libanius ep. 420 p. 215:

φρονεῖ μὲν μεῖζον Ἀλκιβιάδου, ποιεῖ δὲ τὰ Σίκωνος· ὅτι δὲ οὗτος ἔδρα, τὸν Ἀριστοφάνην ἐροῦ. Servi nomen est in titulo I G II add. 834 c 11.

Σωσίας servus Vesp. (cf. 78, 136) una cum Xanthia inducitur. Postea eum consuetissimum in comoedia factum esse videbimus.

Φρύξ servus vocatur Vesp. 433.

Ergo apud Aristophanem Pherecratem Cephisodorum, si neglegimus Ismenian, 10 servorum nomina exstant, Cario, Manes, Manodorus, Mida, Xanthia, Parmeno, Pyrrhia, Sico, Sosia, Phryx, quorum in ipsa antiqua comoedia usitata fuisse cognoscimus 3, Manes, Xanthia, Pyrrhia, cetera demum in media et nova saepius occurrunt. Apud Pherecratem sunt Manes et Pyrrhia, apud Cephisodorum Xanthia. Antiquae igitur comoediae poetae semper iis locis, quibus servos produxerunt, nominibus usi sunt, quae tum erant vulgata, nova non excogitaverunt, nisi fortasse Masynthiam Aristophanes.

Nunc ad mediam comoediam transeamus. Eos autem poetas, qui quasi in confinio mediae et novae comoediae stant, velut Alexis, hic non respicio, quia haud paucas Alexidis fabulas Menandro iam florente doctas esse constat.

Initium facio a loco quodam Antiphanis, qui summi momenti est ad rationem mediae comoediae cognoscendam. Describit enim poeta in fabula Poiesi iniquam comicorum condicionem fr. 191 v. 17 ss.:

ἡμῖν δὲ ταῦτ' οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ πάντα δεῖ
εὑρεῖν, ὀνόματα καινά, τὰ διῳκημένα
πρότερον, τὰ νῦν παρόντα, τὴν καταστροφήν,
τὴν εἰσβολήν. ἂν ἕν τι τούτων παραλίπῃ
Χρέμης τις ἢ Φείδων τις, ἐκσυρίττεται.
Πηλεῖ δὲ ταῦτ' ἔξεστι καὶ Τεύκρῳ ποιεῖν.

Itaque cum poetae et epici et tragici nominibus fabula traditis utantur, comicis opus est nova nomina reperire atque horum sunt *Χρέμης* et *Φείδων*. Sed haec *καινά* non

ita intellegenda esse, tamquamsi poetae comici semper in novas fabulas etiam alia et nova nomina induxerint, sed *καινά* solum opposita esse traditis tragicorum nominibus, apparet ex pronomine indefinito *τις* post Chremes et Phido. Quo pronomine indicatur haec nomina iterum atque iterum a comicis usurpari plane hunc in modum, quem nos typicum vocare assuevimus. Sed restat quaestio, cuius classis personis data sint. Cui ut satisfaciamus, debemus afferre alia exempla. Aristophanis Nub. 134 Phido nomen est patris Strepsiadis, quod poetam respicientem ad etymum verbi *φείδεσθαι* posuisse verisimile est. Phido qui est in Mnesimachi fragmento 4,7 ad hanc quaestionem non multum valere videtur, nam Phidonem illum, qui adulescentes rem equestrem docet,esse aliquem e phylarchis probabiliter coniecit Meineke. Maioris autem momenti esse puto, quod in Luciani dial. mer. 2 pater filiae adultae Phido *ὁ Ἀλωπεκῆθεν* nominatur, quod testimonium idem fere valet, ac si in comoedia esset. Idem dicendum est de Alciphronis ep. II 32,3. Cf. etiam simile nomen in Alciphronis ep. IV 2,5: *ἐπὶ τῆς σκηνῆς ὑπὸ Χρέμητος ἢ Φειδύλου πικρῶς λοιδορεῖσθαι.* Alio loco nomen bene Atticum non iam traditum est ut comicum, aliter Chremes, de quo postea p. 20s.

A d u l e s c e n t i u m nomina typica in mediae comoediae fragmentis non invenimus nisi pauca: ab Antiphane inducitur fr. 235 *Φειδίας* adulescens, qui amorem suum celare frustra conatur, et comoediam *Πάμφιλος* Eubuli (II 192) nomen non a certo aliquo homine, sed ab adulescente ficto accepisse mihi persuasit Breitenbach, de genere quodam titulorum comoediae Atticae p. 61 ss.

Dignum est commemoratu, quod nullum nomen v i r g i n i proprium ex mediae comoediae fragmentis afferi potest.

M e r e t r i c u m nominibus repletam esse mediam comoediam nemo nescit, qui vel primis labris eius fragmenta gustavit. Multae fabulae a meretricibus denominatae sunt,

de quibus nuper Hermannus Breitenbach[1]) tam docte et acute egit, ut eandem materiam retractare nolim. Tot autem meretrices a comicis commemoratas — exempli gratia affero Anteam, Gnathaenam, Isthmiadem, Lagiscam, Laidem, Naidem, Nannium, Neaeram, Phrynam, Pythionicam, Sinopen — quarto saeculo Athenis floruisse constat, ut eas quoque, quas aliunde non novimus, tunc re vera vixisse verisimillimum sit. Eadem nomina haud raro a novae comoediae poetis fictis suis meretricibus indita sunt. Nam hoc discrimen gravissimum est inter mediam et novam comoediam, quod illa certas meretrices in scaenam induxit, haec fictarum mores describit.

Servarum nomina in comoedia media non inveni nisi unum idque incertum, commemoratur at Antiphane fr. 146 *Κολχὶς ἄνθρωπος πάροινος*, quae serva esse videtur.

Ex servorum nominibus affero haec ad quaestionem nostram pertinentia: *Ἰᾶπυξ* Antiphanis fr. 139, servi nomen, hoc solum loco traditum, a patria Japygia in Calabria nominatur.

Καρίων, quod nomen iam in Aristophanis Pluto occurrit, fabulae Eubuli titulum dedit *Σφιγγοκαρίων*. Cf. p. 47.

Κῶμος servus est in Anaxandridis Nereidibus fr. 32, si recte coniecit Meineke *σὺ Κῶμε* pro *σύγκωμε* codicis A. Servi nomen potest esse in titulis IG II 835, 59; 836, 73, civis est 812 c 8.

Μάνης servi nomen etiam in media comoedia invenimus in Mnesimachi Hippotropho fr. 4,2. Nomen servis consuetissimum fuisse videas ex Demosthenis or. 55,86: *μὴ γὰρ εἰ Σύρος ἢ Μάνης ἢ τίς ἕκαστος ἐκείνων • • δοῦλοι μὲν ἐκεῖνοι* e. q. s. Etiam in titulis occurrit servi nomen IG II 1327, libertini 768,24 (4. saeculo).

Παρμενίσκος Eubuli titulus (II 194) forsitan servi nomen fuerit. Sed certi nihil constat, cf. Breitenbach p. 63.

---

[1]) De genere quodam titulorum comoediae Atticae, Basileae 1908.

Πίστος servus est in Antiphanis Butalione fr. 68. Cf. p. 50.

Σπινθήρ in Theopompi Nemea fr. 32 servi nomen est ductum a *σπινθήρ* ad indicandam servi celeritatem cf. Dromo, Strobilus. Nomen vetustissimum (cf. Fick-Bechtel p. 330); servi est in mimo (Oxyr. pap. III 413 vv. 133, 145, 153, 180, 186), in anth. Pal. epigr. VI 305.

Σύρος servus est in Anaxandridis Phialephoro fr. 51 in Timoclis Dionyso fr. 7 (*τοῖς νεωνήτοις Σύροις*), in Eriphi Peltasta fr. 6. Nicostratus (II 226) fabulam nominavit *Σύρος* fortasse a servo cf. Breitenbach p. 107.

Τροχίλος titulus est Heniochi (II 432), quem ad servum spectare Meineke, (Fr. C. Gr. I 421), Kock, Breitenbach p. 80 probabiliter coniecerunt, cf. Arist. Av. 79, ubi avis *τροχίλος* servus upupae est. Nomen etiam alio loco invenitur. Cf. Pausan. I 14,2. Comparandum est cum Dromone.

In media igitur comoedia unum servae, 9 servorum nomina occurrunt, quorum 3 iam in antiqua comoedia adhibentur: Cario, Manes, Syrus.

Iam perlustratis antiquae et mediae comoediae nominibus ad novae comoediae nomina pervenimus, quae praecipue tractanda nobis proposuimus[1]). Plauti nomina quae ipse certo consilio finxit poeta neglegimus, praesertim cum de eius nominibus accurate scripserit Carolus Schmidt Herm. 37 (1902), p. 173 ss., 353 ss., 608 ss.

Atque primum quidem nobis de senum nominibus res sit.

Antipho senex exstat in Plauti Sticho. Cum vero hoc nomen saepe adulescentibus indatur cf. p. 21, haud scio an Plautus ab usu Graecorum comicorum in hac re recesserit.

[1]) Asterisco* notavi ea nomina, quae quamquam in servatis comoediae fragmentis non occurrunt, tamen ex ea ab epistolographis Luciano aliis hausta esse verisimile est. Latinis litteris ea nomina scripsi, quae apud Latinos tantum comicos inveniuntur.

Archidemides Terenti Eun. 327 cognatus atque aequalis patris Chaereae est, in Plauti Bacchidibus (250, 257) Ephesius hospes Nicobuli senis. Bis ergo ut cognati senis nomen usurpatur. Nomen derivatum est ab *Ἀρχίδημος* cf. Pros. Att. 2484, Fick-Bechtel 73 significatque eum qui *ἄρχει τοῦ δήμου*. Nomen igitur senum ordini aptum est. Archidemus occurrit Plaut. As. 865. Cf. simile nomen *Ἀρχιτέλης* Cliniae patris in Luciani dial. mer. 10, quod bene Atticum est cf. Pros. Att. 2566 (a. 480).

Archonidis senis nomen Terenti Hau. 1065 eiusdem rationis est cf. Pros. Att. 2574 ss. Derivatum est ab usitatiore *Ἄρχων*, Pros. Att. 2568 ss.

**Γνίφων* nomen, quod in Alciphronis ep. II 32,3 invenitur: *οἱ λοιποὶ δὲ τῶν Ἀθήνησι νεοπλούτων Φείδωνός εἰσι καὶ Γνίφωνος μικροπεπέστεροι*, recte monet Sondag l. l. p. 61 comoediam sapere. Denotat senem avarum, qualem invenimus etiam in Luciani gall. 30 (*ὁ δανειστής*) et catapl. 17 (*ὁ δαν.*). Nomen autem Atticum est cf. Pros. Att. 3055-57 (saec. 4).

Demaenetus senex est in Plauti Asinaria (382,488). Nomen bene Graecum significat eum, qui a populo laudatur. Nescio an Lucilius 751:

Chremes in medium, in summum ierat Demaenetus

(scil. in convivio) de senibus comoediae cogitaverit.

Δημέας usitatissimum senis nomen est: invenitur in Menandri Samia (111,134 cf. 146), in Misumeno, in fr. 123, in Alexidis Pyrauno (fr. 201), quam comoediam hic affero, quia eam vix ante annum 307 actam esse e fr. 204 apparet, in inc. novae comoediae fragmento Hibehensi cf. Hib. pap. I 31 col. III 40, in illo comoediae prologo a Kaibelio edito (Gött. Nachr. 1899.550), in Terenti Adelphis, in Caecili fr. 216, in pall. inc. inc. 16: „Lachetem audivi percussisse Demeam“, deinde in Luciani dial. mer. 2. Nomen vere Atticum etiam in vita frequentissimum (cf. Pros. Att. 3307-26) ad stirpem vocis *δῆμος* pertinet. Cf. Fick-Bechtel p. 95.

Ad eandem stirpem pertinent:

Demarchus senex Plauti Poen. 1060 (cf. Archidemides).

Demipho in Plauti Cistellaria et Mercatore occurrit, quod nomen graeco *Δημοφῶν* respondet Pros. Att. 3692 ss.

Δημύλος senex videtur in Sosipatri Catapseudomeno fr. 1. Senex quoque est in Luciani philops. 25 (*ὑπὲρ γὰρ τὸν ἄτρακτον ἤδη βιοῖ*) et in Aeliani ep. 18.

Menedemus senex in Terenti Hautontimorumeno cf. Pros. Att. 9888, Fick-Bechtel 202.

Callidemides senex Terenti Hec. 432, cf. Plauti Trin. 916. Haec forma in titulis Atticis non exstat, at **Καλλίδημος** invenitur Pros. Att. 7903 ss.

Lysidamus senex est in Plauti Casina. Nomen *Λυσίδημος* exstat in Attica Pros. Att. 9384 ss.

Hegio senis nomen est in Plauti Captivis, Terenti Phormione et Adelphis, pertinet ad *ἡγέομαι* respondetque Graeco **Ἡγίων*, quod solum forma *Ἁγίων* traditum est velut Delphis CIG 1700, at nomen *Ἡγίας* non rarum est Athenis Pros. Att. 6359 ss.

Καλλικλῆς in Menandri Nauclero fr. 348 nomen est fabri navalis Calymnii sine dubio fictum. Senis est in Plauti Trinummo et Truculento. Usitatum est nomen Atticum (cf. Pros. Att. 7916 ss.) aeque atque

Callipho senis nomen in Plauti Pseudolo et Turpili fr. 54:

„Callifonis nunc te miseret liberum"

quod dictum videtur ad servum a sene fraudato manu missum. Cf. Pros. Att. 8226 ss.

Κλεαίνετος senex est in Menandri Georgo (v. 46) et in fab. inc. I Koerte, (Alexidis fr. 266 ad certum spectat cf. Aeschin. I 98), item in Alciphronis ep. III 36,2 (*ὁ σκυθρωπός*). Nomen Atticum est. Cf. Pros. Att. 8457 ss.

Κνήμων in Menandri fabulis senis nomen fuisse apparet ex loco Choricii apol. mim.[1]): *τῶν Μενάνδρῳ πεποιημένων προσώπων • • Κνήμων • • δυσκόλους ἐποίησεν εἶναι.* Exstat etiam

[1]) Revue de phil. 1877, 228.

fr. 898. Choricii testimonium confirmatur Aeliani ep. 13-16, quarum argumentum ex nova comoedia vel potius ex Menandro fluxisse verisimile est, quo loco seni rustico ab alio scribitur: *σὺ δὲ οὐκ οἶδ' ὅπως ἄγροικος εἶ καὶ γείτοσιν οὐκ ἀγαθὸς πάροικος. βάλλεις οὖν ἡμᾶς τοῖς βώλοις καὶ μέγα κέκραγας. ἰδὼν ἄνθρωπον ὡς διώκων λύκον καὶ ἀργαλέος εἶ* e. q. s. Nomen ducendum est a *κνήμη* cf. Fick-Bechtel 171. Alio loco traditum non inveni.

Cratinus senex est in Terenti Phormione et Adelphis (581). Cf. Plauti As. 866, cf. Pros. Att. 8750 ss.

Κράτων senis nomen est apud Menandrum (fr. 54,223), in Plutarchi quaest. conv. IX 5, 1, ubi fragmenti 223 versus ultimi citantur, Crato *ὁ κωμικὸς γέρων* appellatur. Ut in Menandri fr. 223 senex est non iam contentus praesenti vitae condicione, ita de Cratone quodam in Luciani. de salt. 1 dicitur: *ἐξ ἀρχῆς βίῳ αὐχμηρῷ συζῶν καὶ μόνον τὸ σκληρὸν ἀγαθὸν ἡγούμενος*, quod ratione quadam ex comoedia fluxisse verisimile est. Cf. Pros. Att. 8778 ss.

Κρίτων senex est in Terenti Andria, Hau. 598, Phormione, etiam in Alciphronis ep. III 28, 1, cum in ep. IV 15 adulescentis sit. Item adulescentis esse videtur apud Alexidem fr. 226 (in *Τίτθῃ*) et Diodorum fr. 1 (in *Αὐλητρίδι*). Nomen in Attica creberrimum (Pros. Att. 8817-28) pertinet ad *κριτός* selectus, cf. Fick-Bechtel 177.

Num *Λαμπρίας* in Menandri Adelphis senis nomen fuerit, incertum est cf. p. 23.

Λάχης senex est in Menandri Heroe, Citharista fr. 4, Perinthia v. 10, fab. inc. I 17, fr. 284, in Alexidis Pyrauno fr. 201, in Terenti Hecyra. Ex Menandri fragmentis 647 et 921, Philemonis fragmentis 28 et 149 non apparet num senex sit. In pall. inc. inc. 16 senex esse potest, ex Caecili fr. 127 nihil cognoscitur. Magni autem momenti est Ammiani Marcellini XXVIII 4, ubi senatores quasi comoediae senes dicuntur si quid rogent, sed tragicos personas imitari, si quid ab iis poscatur:

„cumque mutuum illi quid petunt soccos et Mic(i)onas videbis et Lachetas“.
Simile testimonium habemus in Alciphronis ep. III 1, 3, ubi de adulescente narratur: *οὐδὲν φρονεῖ νεώτερον, ἀλλ' οἷά τις Λάχης ἢ Ἀπόληξις αὐστηρός ἐστι τοῖς τρόποις* (de Apolexi cf. Pros. Att. 1352). Senis nomen est etiam in Luciani dial. mer. 7, in Aeliani ep. 18. At adulescens videtur esse *Λάχης* in Crobyli fr. 5, qui cum sodali de conviviis loquitur. Laches nomen in Attica frequentissimum (cf. Pros. Att. 9009-27) a stirpe *λαχε* - (accipere) ductum est cf. Fick-Bechtel 184.

Μικίων, nomen pisciarii in Alexidis fr. 78, senis est in Terenti Adelphis (cf. 938). In illo Ammian. Marc. 28, 4, 27 (v. Turpilius IX Ribb.), ubi tragoediae turgidos Cresphontes et Temenos oppositos invenimus comoediae senibus, pro Miconas scribendum esse Micionas puto cf. Miciones (sic!) cod. G. In Herodae mim. VII 43 nomen est Cerdonis vicino. Nomen inde a 6. saec. traditum cf. Pros. Att. 10172-90 pertinet ad *μικρός*, cf. Bechtel Spitzn.[1]) p. 9 s.

Νικήρατος senex est in Menandri Samia. Adulescentis alibi nomen est cf. p. 24. Nomen Atticum est usitatum cf. Pros. Att. 10730-46. Compositum est ex *νίκη* et *ἐρατός* (Fick-Bechtel p. 112).

Πάταικος senex est in Menandri Periciromene. Cf. *Παταικίων* nomen parasiticum in Alciphronis ep. II 2,2. III 6,1. In Herodae mim. I 50 *Παταίκιος* pater est Matacinae. Nomen est Atticum cf. Pros. Att. 11677 ss. significatque staturae brevitatem, translatum est a deo Phoenicio in navibus applicato cf. Herodot. III 37.

Simus senex Terenti Hau. 498.

Σιμύλος senex Terenti Ad. 352 (in Aeliani ep. 10 senex rusticus est). Sed adulescens est ni fallor in Menandri Misogyne fr. 325 cf. p. 24.

---

[1]) Fr. Bechtel, die einstämmigen männl. Personennamen der Griech., die aus Spitznamen hervorgegangen sind. Gött. Abh. N F 2, No. 5, 1898.

Σίμων senex in Menandri Eunucho (cf. Donat. ad Ter. Eun. 971), in Plauti Mostellaria et Pseudolo, in Terenti Andria, in Caecili (ita coniecerunt pro Lucilio Orellius alii) fr. XXXVII Ribb. cf. Horat. ep. II 3, 238:

Davusne loquatur et audax
Pythias emuncto lucrata Simone talentum.

Alio loco adulescentis est cf. p. 25.

Quae tria nomina bene Attica ducta a *σιμός* homines simis naribus significant. Itaque saepe satyris dantur nomina Simonis et Simi cf. Heydemann, 5. Hall. Winckelm. progr. 38 et Baumeist. Denkm. III 1566. Cf. etiam Lucret. 1169: Simula ⟨scil. puella⟩ Silena ac Saturast ⟨scil. in amantium ore⟩.

Σμικρίνης senex in Menandri Epitrepontibus et in Aspide fr. 76a quasi exemplum est senis morosi, cuius rei multos habemus testes: in Alciphronis ep. III 7, 3; 4 appellatur *ὁ δύστροπος καὶ δύσκολος*, similiter in Julian. misop. 349 c *δύσκολος πρεσβύτης*, in illa Choric. apol. mim. de eo dicitur: *Σμικρίνης δὲ φιλαργύρους ⟨ἐποίησεν εἶναι⟩ ὁ δεδιὼς μή τι τῶν ἔνδον ὁ καπνὸς οἴχοιτο φέρων*, in Themist. orat. 34 p. 462: *τίνα Σίκωνα οὐκ ἀποφαίνει Σμικρίνην*, de quo loco infra p. 24 videas. Nomen ad *σμικρός* pertinere manifestum est. In titulis Atticis autem non occurrit Smicrines, exstant *Σμικρίας* Pros. Att. 12740 ss. et *Σμικρίων* Pros. Att. 12746 ss.

Σωσθένης senex est in prologo Argoratensi[1], ubi una cum fratre Demea vocatur. In Alciphronis ep. I 6,1 quoque senis est nomen. Nomen crebrum ex *σθένος* et stirpe *σω-* (cf. *σῶς*) copulatum est. Fick-Bechtel p. 258. Pros. Att. 13168 ss.

Φανίας senex est in Menandri Citharista et ni fallor in fr. 613, (ex fr. 726 nihil sequitur), item senex est in Terenti Andr. 928, Hau. 169, Hec. 458. Sed adulescens est in Luciani dial. mer. 4. Apud Terentium semper nomen est viri

[1] Kaibel, Gött. Nachr. 1899, p. 549.

nullas in fabula partes agentis. Nomen frequentissimum est (cf. Pros. Att. 14607—28).

Simile est nomen Phanocratis senis Terenti Hau. 1061, quod exstat in Attica cf. Pros. Att. 14059.

Phidippus Terenti Hecyrae senex non alio exemplo iuvatur; nam Alexidis fr. 6. 218 et Timoclis fr. 21 ad certum salsamentarium (Pros. Att. 14163) spectant.

Φειδύλος senis nomen videtur in Philippidis fr. 6. Cf. Alciphronis ep. IV 2,5: *δεήσει με ἐπὶ τῆς σκηνῆς ὑπὸ Χρέμητός τινος ἢ Φειδύλου πικρῶς λοιδορεῖσθαι.* Cf. Phido p. 12. Nomen in titulis Atticis scribi solet *Φειδύλλος* Pros. Att. 14174 ss.

Φιλῖνος senex est in Menandri Periciromene 448 et in Luciani mer. dial. 6. Ex fr. adesp. 131 nihil cognosci potest. Sed idem nomen adulescentibus quoque inditur cf. p. 26. Nomen frequentissimum est Pros. Att. 14299—339.

Χαιρέστρατος num in Epitrepontibus Menandri senex sit, viri docti certant. Adulescentem eum esse nuper virgo doctissima Ida Kapp (Herm. 47,317 ss.) Croisetum secuta contendit, at eius argumenta Carolus Robert (Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1912, 423) optime refutavit. Hoc sane constat illud nomen plerumque adulescentibus indi cf. p. 26.

Χαρμίδης senis nomen est in Plauti Rudente et Trinummo, sed adulescentis in Luciani dial. mer. 11; melius hoc nomen quadrare videtur ad adulescentem, si nomen revocas ad *χαρμή*, quae animi condicio potius adulescenti convenit. In Achill. Tat. IV 2 militis amantis est. Nomen est Atticum usitatissimum Pros. Att. 15505 ss.

Χρέμης senex est in Terenti Andria, Hautontimorumeno, Phormione, (cf. Plauti Asin. 866). Iam in Aristophanis Eccl. 477 et in Antiphanis Poiesi fr. 191 senem invenimus. Ita etiam in Alciphronis ep. I 13, 1; 2; 3: *ὁ συνεσπακὼς τὰς ὀφρῦς, ὁ ταυρηδὸν πάντας ὑποβλέπων.* Expressis verbis ad comoediam spectat eiusdem ep. IV 2,5, quem locum supra ad Phidyli nomen exscripsi. Deinde

afferamus Cic. de fin. I 1,3: „Terentianus Chremes inhumanus", Horati sat. I 10,40: „arguta meretrice potes Davoque Chremeta eludente senem" e. q. s. (dictum ab Horatio ad Fundanium poetam comicum aequalem), cf. etiam epod. I 33, epist. II 3, 94. Aeliani ep. 19 ad senem missa videtur. Num Lucili v. 751 Marx:

„Chremes in medium, in summum ierat Demaenetus" senes significet, nescio. Nomen Atticum cf. Pros. Att. 15568 a stirpe *χρεμε-(χρεμετίζω)* ductum est. Vid. Becht. Spitzn. 47 s. De Chremete adulescente cf. p. 27.

Haec 37 sive 38 (si Lampriae nomen in senum numero habeas) nomina pleraque senum comicorum propria sunt, ita ut ex ipso nomine spectatores senem agnoscant. Solum 11 sive 12:

Ἀντιφῶν, Κρίτων, Λαμπρίας?, Λάχης, Νικήρατος, Σιμύλος, Σίμων, Φανίας, Φιλῖνος, Χαιρέστρατος, Χαρμίδης, Χρέμης senibus et adulescentibus communia esse videntur; de his infra agam.

Iam adulescentium nomina afferamus. Nam senes adulescentesque solum in nova comoedia partes agunt, cum mediae aetatis viri desint.

Ἀντιφῶν adulescens est in Terenti Eunucho et Phormione, in incertae comoediae frustulo (Hibeh Pap. I, p. 44), in Luciani dial. mer. 7, videtur esse in Caecili fr. 30. Ex pall. inc. inc. fr. I nihil cognoscere possum. Nomen vere Atticum cf. Pros. Att. 1275-1307 revocandum est ad stirpem *φω-(φάος)*. Simile igitur nomen atque Phaedria et Phania est, etiamsi Phaniam semel adulescentis solum esse (in Luciani dial. mer. 4) supra p. 19 dixi. Sed hoc quoque Antiphonis nomen in Plauti Sticho senis esse valde miramur.

Γοργίας adulescens est in Menandri Heroe (25) et Georgo (fr. 1.3), deinde in Luciani dial. mer. 8 (Chrysidem meretricem amans), in Alciphronis ep. III 2,1, in Theophylacti ep. 69, cum in eiusdem ep. 65 senis sit[1]). Nomen in At-

[1]) Qui omnino non semper comoediae usum in nominibus quidem sequitur, sed nova nomina linguaque Graeca non semper digna fingit.

tica usitatum (Pros. Att. 3063—76) ad γοργός terribilis pertinet. Cf. etiam nomen Γόργος adulescentis in Luciani dial. mer. 15.

*Δίφιλος adulescens est in Luciani dial. mer. 3 et 12, in Alciphronis ep. IV 10,1. Nemo cum Schepersio (in editione Alciphronis) cogitabit de Diphilo poeta comico recteque monet Sondag p. 56 nomen etymi amatorii causa positum esse. Nomen iam in nova comoedia adulescentibus inditum esse verisimile est cf. simile Pamphili.

Eutychus adulescens in Plauti Mercatore et apud Caecilium filius rusticus (cf. Cic. pro Roscio Am. 16,46) est. De nomine Attico (Pros. Att. 6014 s.) vid. Schmidt, Herm. 37, p. 190. Nomen boni ominis causa inditur[1]), cf. Aristaeneti ep. I 19, ubi meretrix filio nomen dat Εὐτυχίδης.

Κλεινίας adulescens est Terenti Andr. 86, in Hautontimorumeno, in pall. inc. inc. fr. 19: „amare nolo nec dolere, Clinia" quod dictum videtur ad adulescentem, qui ipse amat doletque, in Luciani dial. mer. 10, (cf. nomen in Plauti Bacchidibus 912, Asinaria 866), in Theophylacti ep. 14. Propter hunc usum satis constantem in Misumeno quoque Menandri Κλεινίαν adulescentem fuisse probabiliter coniecit Koerte (Men.[2] praef. LII). Nomen in Attica usitatum (cf. Pros. Att. 8502-12) pertinet ad κλεινός.

Simile nomen a κλειτός ductum est Κλειτοφῶν adulescentis in Menandri fr. 586, in Philemonis fr. 228, in Terenti Hautontimorumeno. Nomen Atticum est cf. Pros. Att. 8546-50.

Hic liceat inserere nomen Ctesipho adulescentis in Terenti Adelphis. Hoc quoque Atticum est (Pros. Att. 8891-901).

Κρίτων in Alexidis Τίτθη fr. 226 et in Diodori Αὐλητρίδι fr. 1 adulescens videtur esse, item in Alciphronis ep. IV 15. Sed alibi senex est cf. p. 17.

Λαμπρίας in Luciani mer. dial. 3, in Aristaeneti ep. I 16, in Aeliani 11; 12 nomen adulescentis amantis est. (In Euphronis fr. 1,8 nomen est coqui nescio cuius). Adules-

[1]) Cf. Platon. Cratyl. p. 397 b.

centis esse potest in Menandri Orges fragmento nuper e Photi codice Berolinensi edito (Reitzenstein 70,4):

καὶ Λαμπρίας ὄπισθεν ἀλάβαστον φέρων.

Sed in Menandri Adelphis senis esse videtur, si fragmentum 6 a Terentio Ad. 605 ss. translatum eundem locum in Graeca fabula obtinuit quem in Latina; apud Terentium enim senex Hegio senem Micionem alloquitur. Sed equidem non crediderim Lampriae nomen Terentiano Micioni fuisse apud Menandrum. Potuit sane pater clemens eadem fere verba, quibus Hegio Micionem alloquitur, facere ad filium. Sed si re vera Lampriae nomen in Menandri Adelphis seni fuit, habemus exemplum, quo Chaerestratus Epitrepontium iuvetur. Lamprias nomen Atticum satis rarum Pros. Att. 8988 ss. a *λαμπρός* derivatum adulescenti magis aptum est quam seni.

Λάχης senis alibi nomen cf. p. 17 s. mirum est, quod in Crobyli fr. 5 adulescentis cum sodali de conviviis colloquentis videtur.

Nomen *Μοσχίων* valde usitatum semper adulescentem significat, ita in Menandri Samia, Periciromene, fab. inc. I, Citharista, Hybobolimaeo fr. 494, in Stratonis Phoenicide fr. 1, quo aliquis reputans, quis ad caenam venturus sit, enumerat

ἥξει Φιλῖνος Μοσχίων Νικήρατος ὁ δεῖν' ὁ δεῖνα.

Est igitur Moschio inter sollemnia adulescentium nomina. Idem docent Luciani mer. dial. 11, Alciphronis ep. II 35,1. Cf. Machon. apud Ath. I 44 d, VI 246 b. Praeterea iterum teste uti possumus Choricio, qui in apol. mim. dicit: *τῶν Μενάνδρῳ πεποιημένων προσώπων Μοσχίων μὲν ἡμᾶς παρεσκεύασε παρθένους βιάζεσθαι . . .*

Nomen autem in Attica creberrimum (cf. Pros. Att. 10427-53), deductum a *μόσχος* (Fick-Bechtel 317) ad notandum hominem aetatis nondum maturae convenit.

Νικήρατος, quod nomen supra in senum catalogo (p. 18) semel invenimus, adulescentis est in illo Stratonis

fragmento 1 (sub *Μοσχίων* allato), in fabula incerti auctoris Ghoranensi (cf. Koerte Herm. 43 [1908], 45 ss.), in Terenti Andriae v. 87. Nomen magis quadrat ad adulescentem quam ad senem.

Νικόμαχος nomen adulescentis est in fragmento adesp. 125. Cf. Pros. Att. 10932-966.

Νικοφῶν adulescens videtur esse in Philemonis Corinthia fr. 39 et in fr. 104, ex Apollodori fr. 14 et e fr. adesp. 247 nihil cognosci potest de personae aetate. Nomen Atticum est Pros. Att. 11074 ss.

Πάμφιλος, etiamsi ex Menandri fr. 631 nihil apparet, tamen omnibus aliis locis adulescentis nomen est. Sic, ni fallor, in Philemonis fr. 148, in Philippidis fr. 26, in fr. adesp. 274 et 297, in Terenti Andria et Hecyra; et Terentium hoc nomen ex Apollodori exemplo transtulisse iam scimus (cf. Warren Class. Phil. I 44). Deinde habemus adulescentes huius nominis in Luciani dial. mer. 2, in Aristaeneti ep. I 25, II 16;18, in Alciphronis ep. I 15, 1; 3. IV 6,1, in anth. Pal. XI 219, XII 31. Cf. Donat. ad Ad. I 26, qui dixit nomen Pamphili iuveni non esse „incongruum". Nomen autem Atticum est creberrimum Pros. Att. 11524-60.

De Parmenone adulescente in Menandri fragmentis 407, 481, 649 cf. p. 49s.

Σίκων apud Aristophanem servi nomen esse supra p. 10 vidimus. Sed iam in Eubuli fr. 126 adulescentis liberi esse nomen videtur, item est in Alexidis *Ἀσωτοδιδασκάλῳ* fr. 25. Atque ex Themisti or. 34 p. 462 (Dindorf): *τοῖς δεηθεῖσι δοῦναι καὶ πλείονος ἢ ὅσῳ χρῆσαι ᾔτησε . . , τίνα Ἀλκιβιάδην οὐχ ὑπερβαίνει, τίνα Σίκωνα οὐκ ἀποφαίνει Σμικρίνην* apparet Smicrini avaro novae comoediae seni opponi illum Sicona prodigum adulescentem. Nomen Atticum est Pros. Att. 12650. In Sosipatri fr. 1,19 coqui nomen est.

Σιμύλος in Menandri Misogyne fr. 325 adulescens est, ni fallor ille Misogynes, a quo fabula inscripta est. Supra p. 18 in senum catalogo nomen invenimus.

Simonis nomen in usu adulescentis esse mirum est cf. p. 19. Sed in pall. inc. inc. fr. 2:

Athenis Megaram vesperi advenit Simo;
Ubi advenit Megaram, insidias fecit virgini,
Insidias postquam fecit, vim in loco attulit

videtur adulescens significari, nisi Simo is est, cui haec narratur. Quod si verum sit, distinguendum sit: advenit, Simo.

Φαίδιμος in Diphili Aenagismatibus fr. 38 et fr. adesp. 130 adulescens videtur esse, etiam in incerti poetae fabula Ghoranensi (cf. Herm. 43, 43 ss.) adulescens est. Nomen vere Atticum cf. Pros. Att. 13926 ss. significat *φαίδιμον* splendidum.

Simile nomen a *φαιδρός* deductum est *Φαιδρίας* adulescentis in Terenti Eunucho et Phormione, in Alciphronis ep. II 35,1, III 21,1. In Turpili fr. 93 servi nomen videtur. Ex eiusdem fr. 170 nihil apparet ad hanc quaestionem pertinens[1]. Servi nomen est I G II 1856, civium Atticorum Pros. Att. 13935-45. Solum in Plauti Curculione adulescentis nomen Phaedromus invenimus. Nomen a poeta e Phaedria, Phaedrus derivatum esse puto. Denique huc pertinet Phaedrus adulescens Terenti Andr. 86. Num Alexis fabula eodem nomine inscripta (II 386) Platonis Phaedrum respexerit, incertum est cf. Breitenbach p. 90 ss.

**Φανίας* in Luciani dial. mer. 4 adulescens est, alibi semper senex cf. p. 19.

Φειδίας, de quo videas p. 12, adulescens est in Menandri Heroe, Colace, Phasmate. In comoediae incertae frustulo Oxyrhynchico (Ox. Pap. VI p. 171) nomen *Φιδια* exstat, at sitne adulescens cognosci non potest. Nomen autem Atticum (Pros. Att. 14148 ss.) revocandum est ad *φείδομαι*, quod ad etymum iocus meretricis apud Ath. XIII 585 f spectat. Mirum est hoc nomen adulescentibus inditum esse, cum Phido, Phidylus senes avaros denotent.

[1]) Aristoph. Lys. 356 nomen est senis choreutae.

Φιλῖνος adulescens est in Apollodori Lacaena fr. 7 et in Stratonis fr. 1 sub *Μοσχίων* allato. Nomen magis adulescenti quam seni convenit. Sed cf. p. 20.

Φιλοκράτης adulescentis nomen est in Plauti Captivis et in anth. Pal. XII 16. Nomen exstat, parasito ni fallor inditum, etiam in Eubuli fr. 119. Nomen Atticum est cf. Pros. Att. 14568-14634.

Χαιρέας adulescens est in Menandri fab. inc. I et in Coneazomenis 9, in Terenti Eunucho, deinde in Luciani dial. mer. 7, symp. 7,45; in Achill. Tat. IV 15,2 militis amantis est. Cf. nomen Plauti Asin. 865.

Χαιρέστρατος, qui secundum Choricium apud Menandrum ἡμᾶς παρεσκεύασε ψαλτρίας ἐρᾶν, adulescens est in incerti poetae fabula Ghoranensi (Herm. 43,45 ss.), in Menandri Eunucho secundum schol. Pers. sat. V 161, in Alciphronis ep. II 14, ubi narratur de eius in tibicinam amore, apud Caecilium (cf. Cic. pro Rosc. Am. 16,46), qui ex Menandri Hypobolimaeo hausisse dicitur a Festo (de verb. sign. p. 337), apud Mart. V 25. Cf. nomen Plauti Asin. 865. Idem nomen a Menandro in Epitrepontibus seni datum esse supra p. 20 vidimus. Nomen in Attica creberrimum est Pros. Att. 15146-74.

Cf. etiam nomen Chaeribuli adulescentis in Plauti Epidico hoc solum loco traditum. Vid. Schmidt, Herm. 37 p. 182.

Χαρῖνος num in Diphili *Γάμῳ* fr. 23:

Στίλπωνός ἐστι βύσμαθ' ὁ Χαρίνου λέγος

adulescens sit incertum est. Sed est adulescens in Plauti Mercatore et Pseudolo, in Terenti Andria et Hau. 732. deinde in Luciani mer. dial. 4, symp. 1, in Martialis epigr. I 77, XI 59. Sed dissentit ab hoc usu, quod in scaena phlyacica in cratere ab Asstea picta (cf. Baumeister III fig. 1830. Furtwängler Berl. Vasenkat. 3044) nomen *Χαρῖνος* seni adscriptum est. Incertior autem est usus illius Diphili fragmenti, quam ut cum hoc exemplo componi possit. Certe nomen

Atticum (Pros. Att. 15434 ss.) a χάρις profectum adulescenti magis aptum est. Suspicari licet a poeta phlyacico seni id inditum esse ironice, aeque atque in alio eiusmodi vasculo anui deformi adscriptum esse Χάρις[1]) memini.

Ad eandem stirpem pertinet Χαρίσιος adulescentis nomen in Menandri Epitrepontibus et fab. inc. II Koerte, deinde in Aristaeneti ep. I 22. Nomen Atticum est cf. Pros. Att. 15486-90[2]).

*Χαρμίδης adulescens est in Luciani dial. mer. 11, cf. p. 20.

Permirum autem est nomen Χρέμης et in Menandri et in Terenti Eunucho (cf. Donat. ad 507) adulescentem (sed rusticum quidem) significare. Fortasse Nencini (de Terentio eiusque fontibus 86 ss.) recte Donati verba sic supplevit: „Haec persona apud Menandrum ⟨senis, hic⟩ adulescentis rustici est“. At etiam in Aeliani ep. 9 adulescentis rustici nomen esse videtur.

Omnia haec senum adulescentiumque nomina typica et certi ordinis propria vocare liceret, nisi nonnulla poetae et senibus et adulescentibus inderent. Sed tamen huius usus alterum modum ordini congruentem, alterum extraordinarium dicere possumus. Nominum autem quae senibus adulescentibusque communia sunt 7: Antipho, Lampria, Niceratus, Chaerestratus, Charinus, Charmides, Philinus plerumque adulescentibus, raro senibus induntur; 6 autem senum propria Crito, Laches, Simylus, Simo, Phania, Chremes interdum adulescentibus tributa sunt. Atque hoc loco afferre licet proverbium illud saepe falso loco usitatum: Die Ausnahme bestätigt die Regel. Cf. p. 58 s.

---

[1]) Apud Heydemann D. (Arch. Jb. I p. 260 ss.)

[2]) cf. Χαρίτιον puellae nomen in mimo Oxyr. pap. III No. 413. v. 42. 97. 188.

Nunc ad matronarum nomina vertamur.

Ex Philemonis Pterygii fr. 66:

νυνὶ δ᾽ ὅταν λάβῃ τις εἰς τὴν οἰκίαν
τὰς Ἱππονίκας τάσδε καὶ Ναυσιστράτας
καὶ Ναυσινίκας, τὰς Ἀθηναίας λέγω

apparet illa nomina a poeta quasi typica mulierum Atheniensium accepta esse. Atque sunt nomina Attica, sed **Ἱππονίκη** tantum semel in titulo legitur I G III 5303.

Nausistrata matrona est in Terenti Phormione.

Κρωβύλη nomen matronae in Menandri Plocio fr. 402 et in fr. 929, item in Luciani dial. mer. 6 est. Nomen revocandum est ad κρωβύλον capillorum habitum. E titulis autem solum viri nomen notum est **Κρωβύλος** I G II 3884.

Μυρρίνη, quam matronam esse in Aristophanis Lysistrata, meretricem in Timoclis fr. 25 scimus, in nova comoedia semper matrona est, in Menandri Heroe, Periciromene, Georgo, in Plauti Casina, in Terenti Hecyra. Nomen in titulis Atticis saepe exstat (Pros. Att. 10480—89), ductum autem est a μυρρίνη ex blanda comparatione ortum.

Νικοστράτη in Philemonis fragmento 132:

ἀγαθῆς γυναικός ἐστιν ὦ Νικοστράτη
μὴ κρείττον᾽ εἶναι τἀνδρός, ἀλλ᾽ ὑπήκοον.
γυνὴ δὲ νικῶσ᾽ ἄνδρα κακόν ἐστιν μέγα

admonet nos de Philemonis nominibus supra allatis acceditque simul propius ad Aristophanis rationem. Cf. Pros. Att. 10995-11002.

Simile nomen atque Myrrhine est **Ῥόδη**, quod pertinet ad ῥόδον. Matrona est in Menandri fr. 245 et 546, apud Longum IV 36 nomen est matris Chloes. Gerunt hoc nomen cives Atticae cf. Pros. Att. 12533 s. At etiam meretricibus indi potuit cf. Philemonis fr. 84 et Horati c. III 19,27.

Sostrata, de qua vid. p. 7, matrona est in Terenti Hautontimorumeno, Hecyra, Adelphis. Nomen Atticum est cf. Pros. Att. 13310-19.

Φανοστράτη matrona in Plauti Cistellaria et in Al-

ciphronis ep. III 14,4 est. Hoc quoque nomen Atticum est cf. Pros. Att. 14084-92.

Φίλιννα, de qua cf. p. 7, in Menandri Georgo anicula est libera.

Ut totum genus matronarum in nova comoedia non magnas partes agit, ita earum nomina non multa sunt. Nonnulla etiam eis cum meretricibus communia sunt velut Myrrhine, Rhode, Philinna.

Aeque res se habet in virginum nominibus, quae nunc enumeremus.[1])

Antiphila in Terenti Hautontimorumeno nomen virginis est, datur etiam meretricibus cf. p. 31.

Παμφίλη in Menandri Epitrepontibus Charisi uxor est nuper in matrimonium ducta. In fr. 566 vocatur *ἐλευθέρα γυνή*. Virgo est in Terenti Adelphis. Sed nomen a meretricibus minime alienum est cf. p. 36. Nomen autem Atticum est cf. Pros. Att. 11521-23.

Κράτεια nomen est virginis in servitute versantis in Menandri Misumeno. In Alexidis titulo ap. Ath. 107 a *Κράτεια ἢ Φαρμακοπώλης* (non recte Kock II 334 praecedente Meinekio I 395 mutavit *Κρατεύας ἢ Φαρμακοπώλης*) et virginis et deae[2]) nomen esse potest. Nomen referendum ad *κράτος* I G II 622 sacerdotis est[3]), servae I G II,5 no. 775b III 16 (4. saeculo exeunte).

Pasibula alio loco non traditum nomen est primum Andriae, quae postea Glycerium nominabatur, Terenti Andr. 945. Cf. similia nomina Pasicompsa in Plauti Mercatore, Pasiphila in Archilochi fr. 8 (Cru.).

Πλαγγών virgo est in Menandri Heroe et Samia. Nomen Atticum est Pros. Att. 11840. Idem nomen quarto saeculo gessit meretrix, de qua Eubulus fabulam nominavit cf. Breitenbach p. 133 s.

---

[1]) inter virgines comicorum usum secuti etiam novas nuptas uxores et puellas liberas vitiatas numeramus.

[2]) ita Kaibel Herm. 25 p. 98.

[3]) cf. Wilhelm Ath. Mit. 1898, 422[2].

Γλυκέρα virgo est in Menandri Periciromene et in fr. 569, item in Aristaeneti ep. II 3 (*κόρη*). Eam Menandri amicam fuisse ex eius comoediis fictum videtur. Alibi meretricibus nomen datur. Est autem vere Atticum cf. Pros. Att. 3038.

Phanium Terenti Phorm. 201 virgo est. Sed etiam meretricibus nomen datur. Cf. infra.

Φιλουμένη nomen in Terenti Andria et Hecyra civibus Atticis datur, cum alibi meretricium sit. In Menandri fr. 620 eius condicio non potest cognosci. Matronae Panegyridi Plauti Stich. I 1 in cod. A nomen est Philumena. Nomen in Attica usitatum est cf. Pros. Att. 14749-57.

Nullum igitur nomen virginum solum proprium, sed omnia etiam meretricibus dantur, uno excepto Crateae.

Iam transeo ad meretricum nomina, quibus pauca praemittam: interdum novae quoque comoediae poetae meretrices tunc Athenis florentes commemorant — exempli gratia nomino Colacis Menandri fr. 4 (Koerte) —. Haec nomina a proposito meo aliena non affero, ea solum respicio, quae meretrices in fabulis agentes gerunt; videbimus sane has fictas meretrices a veris non numquam nomina mutuatas esse. Restant paucae, de quibus dubitari potest sintne verae an fictae meretrices. Re vera vixisse puto Synoridem, de qua Diphilus fabulam nominavit (II 265) secundum Breitenbach p. 130 s. c. annum 320 actam, cf. Ath. VI 247 a, XIII 583 e.

Phanium quoque, quo nomine Menandri fabula inscribitur (III 142), meretricem Atticam fuisse testatur Athenaeus XIII 567 c. Sed cum Thaidem Menandri nihil habere cum clarissima Alexandri amica satis certum sit v. infra p. 33, ne de Phanio quidem certe iudicare audeo. Cf. Breitenbach p. 141. Terentium autem Phorm. 201 nomen virgini Atticae indere supra vidimus. In anth. Pal. XII 82 meretricis est.

Ἀβρότονον meretrix (fidicina) est in Menandri Epitrepontibus et Periciromene, deinde in Luciani dial. mer. 1. Quod mater Themistoclis Abrotonum Thracia meretrix fuisse dicitur (cf. Plut. Them. 1, Ael. var. hist. XII 43, anth. Pal. VII 306), ex fabulis comicis ortum esse videtur. Nomen autem sollemne fuisse in comoedia (aut vita?) intellegimus ex Plut. amat. 753 d: *ἐξ ἀγορᾶς γαμεῖν Ἀβρότονόν τινα Θρῇσσαν ἢ Βακχίδα Μιλησίαν ἀνέγγυον ἐπαγομένην δι᾽ ὠνῆς.* Translatum est nomen ab *ἀβρότονον* planta, cui vis stimulandi ad amorem tribuebatur cf. Bechtel Frauenn. p. 105[1]).

Ampelisca puella a lenone invita ad meretricium munus coacta in Plauti Rudente nobis causa est, cur etiam meretricem *'*Ἀμπελίς* in Luciani dial. mer. 8 et in Aristaeneti ep. II 9 ad comoediam pertinere putemus. Nomen in titulo exstat Tanagraeo I G VII 765.

Antiphila, quod virginis nomen est in Terenti Hautontimorumeno, in Plauti Cistellaria a Prisciano (I 529) Gymnasio meretrici inditur atque meretricis est in Turpili fr. 187. Nomen in titulo tertii saeculi I G II 836, 68 legitur, ubi meretricis esse ex eo conicias, quod una cum Theodote et Pythiade appellatur, sed certe res non diiudicari potest. Nomen ex *ἀντὶ* et *φιλεῖν* compositum significat amorem reddens, redamans, non amans pretio quod Koenig[2]) p. 10 censet.

Βακχίς meretricis nomen saepe usurpatur, ita in fr. adesp. 152, in Plauti Bacchidibus, in Terenti Hautontimorumeno et Hecyra, in Luciani dial. mer. 4, in Alciphronis ep. IV 2-5; 11; 14. Sopatrum phlyacum poetam habere titulos *Βακχίς, Βακχίδος μνηστῆρες, Βακχίδος γάμος* tradit Athenaeus IV 158d, 160 a, b, XIV 656 f; quos titulos ad meretricem spectare verisimillimum est. Novimus autem Bacchidem meretricem Samiam (Samiae quoque sunt Plauti sorores) ex gente ut

---

[1]) Fritz Bechtel, die attischen Frauennamen. 1902.

[2]) de nominibus propriis quae sunt apud Plautum et Terentium. Progr. v. Patschkau. 1876.

ita dicam Sinopes, quam et ipsam Pythionice illa secuta est cf. Ath. XIII 594 b, c. Medio igitur quarto saeculo viguit. Sed nomen etiam alibi meretricibus in usu fuisse cognoscas ex illo Plutarchi loco supra (ad Abrotonum) allato. Cives Atticae hoc nomen non gessisse videntur, peregrinae occurrunt I G II 2919, 2306.

Γλυκέρα Menandri amica fuisse dicitur. Etiam Harpali meretrici hoc nomen fuit cf. Ath. XIV 586 c, 594 d. Sine dubio nomen in comoedia quoque meretricibus inditum est cf. Luc. rhet. did. 12: *Αὐτοθαΐδα τὴν κωμικὴν ἢ Μαλθάκην ἢ Γλυκέραν τινὰ μιμησάμενος.* Meretrices sunt in Luciani dial. mer. 1, in Aristaeneti ep. I 19, I 22, in Horati c. I 19,5; 30,3, III 19,28 (poetae amica), I 33,2 (Tibulli amica), in Martialis epigr. VI 40, XI 40. Ad Menandri amicam spectat Alciphronis ep. IV 2; 14, 1; 18, 19, Martialis XIV 187. Nomen et civibus Atticis Pros. Att. 3038 et peregrinis datur I G II 3572.

Γλυκέριον meretricis nomen est in Menandri Misogyne fr. 329 et in fr. 944, puellae falso sororis meretriculae creditae in Terenti Andria i. e. loco meretricii nominis. Meretrix quoque est in Luciani catapl. 12, apud Machonem cf. Ath. XIII 582 d, in anth. Pal. XVI 240, potest esse in titulo I G II 836, 82. In Alciphronis ep. IV 18,17; 19,2 et Aristaeneti ep. I 22 blande dictum est pro Glycera.

**Δελφίς* meretrix est in Luciani dial. mer. 14 et Aristaeneti ep. II 21. Quod nomen ex comoedia fluxisse puto, praesertim cum in Plauti Mostellaria meretrici nomen sit Delphium. Nomen, quod I G II 3320 peregrinae est, ab urbe translatum est. Cf. Bechtel Frauenn. 57. Nescio an poetae comici in nomine eligendo de voce *δελφύς* cogitaverint, quae significat *τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον.*

Dorcium meretricis est nomen in Terenti Phormione 152 et ni fallor in Turpili fr. 126: „ante facta ignosco: mitte tristitatem, Dorcium", deinde in anth. Pal. XII 161.

Huc pertinet *Δορκίς* et Dorcas servae nomen cf. p. 42. In hydria rubris figuris ornata Florentina (vid. Arch. Zeit. 1850 tab. 21) saltatrici *Δόρκα* adscriptum est.

Nomen etiam e titulis Atticis notum cf. I G II 3639 *Δόρκιον χρηστή* a caprea translatum est et fortasse ad oculorum spectat colorem cf. *δέρκομαι*. Sed cf. etiam Bechteli interpretationem Frauenn. p. 91, qui affert Lucret. v. 1161.

Erotium meretricis nomen est in Plauti Menaechmis et Turpili fr. 187:

forte eo die
meretrices ad me delenificae ut Atticae convenerant
condixerantque cenam apud me Thais atque Erotium
Antifila-Pythias: ego extra cubui dominia.

Idem nomen est in lepidissimo epigrammate anth. Pal. XI 88. Amicam Epicuri ita nominatam fuisse tradit Diog. Laert. X 3. In Martialis epigr. V 37 poetae vernula est. Nomen civis Atticae est I G II 957 b 6 add. cf. Pros. Att. 5193.

Θαΐς nomen est fabulae clarissimae Menandri, item Hipparchi (III 61, 273 K.). Menandrum non Alexandri Magni amicam Ptolemaei uxorem famosissimam in scaenam duxisse, sed ab ea nihil sumpsisse nisi nomen luculenter demonstravit Breitenbach p. 139 s. Inde a Menandro nomen meretricum est usitatissimum, occurrit in Terenti Eunucho, in Turpili fr. 187, in Alciphronis ep. IV 6—7. 14,2; 7, in Aristaeneti ep. II 16, in Luciani dial. mer. 1 et 3, in anth. Pal. V 161. Titulus erat togatae Afrani. Ad Menandri Thaidem spectant Properti II 6, 3, cf. V 5, 43 et Martialis XIV 187. Fere appellativi loco nomen ab Ovidio usurpatur rem. am. 385:

Thais in arte meast: lascivia libera nostra est.

Cf. a. a. III 604. Meretricis nomen est Mart. III 8, IV 12 saepius. Cf. Iuven. sat. I 3, 93 ss. In titulo semel invenitur I G III 2707 *Θαΐς Ἐλπίδος Μιλησία*. Nomen pertinet ad *θάομαι*, *θαῦμα*.

Κλωνάριον meretricis nomen in comoedia fuisse apparet ex Et. M. 782, 45. In Luciani dial. mer. 5 item meretricis est. Alibi non traditum est.

Leontium in Caecili fr. 36, ex quo nihil apparet, meretricem fuisse conicias, quod ex Et. M. 782, 46 id nomen meretricium in comoedia fuisse scimus. Ex Ath. XIII 593 b et 597 a Leontia amicas Epicuri et Hermesianactis novimus. Ath. XIII 585 facete dictum Leontii traditum est, quae Glycerae invidebat. In titulo I G II 2433 civis Atticae est nomen. Ortum esse puto e blanda allocutione cf. Bechtel, Frauenn. p. 87.

Μαλθάκη meretrix esse videtur in incertae comoediae fragmento Ghoranensi B. C. H. XXX 103 fr. V col. I 5; meretricum nomen est in titulo comoediae Antiphanis (II 71), apud Theophilum fr. 11 et Lucianum rhet. praec. 12. Idem nomen occurrit in 4. saec. titulis Atticis I G II 3762 et 3817, certe civi Atticae inditum est Sitzungsber. der Berl. Akad. 1897, 665 n. 3, cf. Pros. Att. 9662. Nomen significat mollem.

Melaenis lena in Plauti Cistellaria est. Nomen accepit a Veneris cognomine *Μελαινίς* cf. Paus. II 2, 4 et Ath. XIII 588 c. Quam ita nominatam esse propter *μίξεις ἐν τῇ νυκτί* Pausan. VIII 6 dicit. Simile igitur nomen est atque Lais et Leaena. I G II 775 B 7 (exeunte 4. saec.) Melaenis servae nomen est, sed civis Aeginensis apud Collitz Dialektinschr. 3419. Coloris autem significationem quoque in nomine sentiri (cf. Pyrrha) ex Martialis epigr. VII 29 cognoscas: Marsi fusca Melaenis.

Moschis nomen in Afrani fr. 136:
Ubi hice Moschis quaeso habitet, meretrix Neapolitis?
ex comoedia Attica fluxisse puto. Cf. *Μοσχάριον* meretricis nomen in Alciphronis ep. IV 14, 2. *Μοσχίς* nomen est mulieris incertae originis in titulo Attico I G II 3974, item ut Leontium e blanda allocutione ortum. Vid. Bechtel Frauenn. 88. Cf. adulescentis nomen *Μοσχίων*.

Μουσάριον nomen in comoedia meretricium fuisse apparet et ex Et. M. 782, 45 et ex eo, quod a Luciano dial. mer.

7 et ab Aristaeneto ep. I 24 meretricibus datur. Nomen a musa ductum meretricibus artis musicae peritis inditur.

Μυῖα meretricis nomen fuisse in comoedia ex Luciani musc. enc. 11 apparet: *καὶ ἄλλη ἑταίρα τῶν Ἀττικῶν ἐπιφανής, περὶ ἧς ὁ κωμικὸς ποιητὴς ἔφη ἡ Μυῖα δ' ἐδάκνεν αὐτὸν ἄχρι τῆς καρδίας* (= fr. ad. 475).
Nescio num meretricis nomen sit in lecytho nigris figuris ornata cf. Brit. Mus. B 633, cf. *Μυίδιον* I G II 3981. Simile meretricis nomen est *Κωνώπιον* in Callimachi epigr. 63. Ad nominis significationem videas anth. Pal. V 150.

Sed fortasse ille *κωμικός* Luciani ad certam meretricem Atticam spectat.

Νέαιρα titulus est fabulae Philemonis (II 490), qua in comoedia non meretricem illam quarti saeculi e Pseudodemosthenis oratione LIX notam vexari Breitenbach certissimis argumentis evicit (p. 136 s.). Ut Menander a Thaide, sic Philemon a Neaera nihil sumpsit nisi nomen. Licinius quoque scripsit fabulam Neaeram, de cuius moribus nos edocet fr. 1: „Nolo ego Neaeram te vocent, sed Nerienem, cum quidem Mavorti es in connubium data". In Lygdami carminibus (Tibull. III 1, 6 saepius) uxori poetae hoc nomen fictum inditum est, in Horati c. III 14, 21 et ep. 15, 11 meretricis est.

Palaestra nomen, quod in Plauti Rudente puellae inditur, meretricium est. Sane est in Et. M. 647, 56 filiae Pandoci cuiusdam, at fortasse nomen Pandoci i. e. qui omnia accipit fictum est in comoedia. Nominis etymum artem meretriciam sapit vid. Bechtel Frauenn. p. 124, similiter Romani poetae utuntur verbo luctandi cf. Prop. II 1, 13; 15, 5. Qua significatione nomen et Palaestrae *παιδίσκης* in Pseudo-Luciani Luc. vel Asin. 2 et puellae Rudentis, quae in lenonis dicionem venit (cf. v. 684) explicatur. Simile nomen *Παλαιστώ* meretricis est in vasculo Euphroni (Wien. Vorlegebl. V 2). Cf. Gymnasium meretricis nomen in Plauti Cistellaria, quod ex comoedia Attica fluxisse puto. Nomen exstat in titulo

I G III 3065. Ad significationem cf. Eupolidis fr. 158: τὴν σεαυτοῦ γυμνάσεις δάμαρτα; et Luciani dial. deor. 20, 14: Ἑλένη γυμνὰς τὰ πολλὰ καὶ παλαιστική.

Π α μ φ ί λ η est titulus fabulae Alexidis, quae fortasse ad meretricem medio saeculo quarto florentem (Ath. XIII 591 e) spectavit (cf. Breitenbach 117 s.). Idem nomen a Menandro et Terentio civibus Atticis datum esse supra p. 29 vidimus. Meretricis autem (fidicinae) est Terenti Eun. 440 et Phorm. 310 (citharistriae cf. v. 81).

Π υ θ ι ά ς meretricis nomen est in Phoenicidis fr. 4, in Turpili fr. 188, deinde in Luciani dial. mer. 12, in Aristaeneti ep. I 19, II 2, I 12, in anth. Pal. V 159, 164, 213. Civis Atticae nomen est I G II 1392,5 cf. Pros. Att. 12356, peregrinae ni fallor I G II 754, 11. De interpretatione nominis vid. Bechtel Frauenn. p. 53, 56, 126.

Π ύ ρ ρ α in Diphili fabulae titulo (II 563) meretricis esse nomen videtur, cum in Horati c. I 5,3 ita usurpetur cf. Breitenbach p. 167. Nomen exstat in titulo I G II 4107, derivatum est a πυρρός cf. servi nomen Πυρρίας.

Ῥ ό δ η in Philemonis Phasmate fr. 84 meretrix est. Cf. p. 28.

Ὑ μ ν ί ς titulum Menandri meretricem significare ex Luciani dial. mer. 13,4, ubi meretrix est, concludere licet. Cf. Breitenbach p. 140. Servae est in anth. Pal. VII 643. Mulieris nomen est I G III 3, 75 a.

P h i l a e n i u m meretricis nomen in Plauti Asinaria sine dubio ex comoedia Attica sumptum est. Nomen enim, quod in Philodemi epigr. anth. Pal. V 121, VI 284 meretricis est, leviter mutatum in Φιλαινίς meretrici inditur in Luciani dial. mer. 6, amat. 28, in Aristaeneti ep. I 25, in Martialis epigr. II 33 e. c. Apud Athenaeum VIII 335 b, X 457 d e Philaenis meretrix commemoratur, cui tribuebatur περὶ ἀφροδισίων σύγγραμμα. Nomen civis Atticae est I G IV_1 116 (ante 430), peregrinae II 4265, add. 776 b (4. saec.). Nomen autem significat eam quae vult laudari.

Φ ι λ η μ ά τ ι ο ν quoque nomen novae comoediae propri-

um esse censemus, cum a Plauto in Mostellaria, a Luciano in dial. mer. 11, ab Aristaeneto in ep. I 14 meretricibus detur. Sed etiam civium Atticarum in usu fuit (I G III 2122). Nomen autem ex blanda allocutione ortum est cf. Plaut. Poen. 366:

Meus ocellus, meum labellum, mea salus, meum savium.

Φιλουμένη meretricis nomen est in Crobyli Pseudypobolimaeo fr. 5, in Alciphronis ep. IV 14, 2; 15, puellae cuius concubitum petit adulescens in anth. Pal. V 40. Ex Menandri fr. 620 nihil certi cognosci potest. Cf. supra p. 30. Nomen civibus Atticis saepius inditum est cf. Pros. Att. 14749—14757, mulieris inferioris ordinis est I G II 5, 4253 b add. Certe nomen meretrici convenit aeque atque simile

Φιλῶτις, a qua Antiphanes fabulam inscripsit (II 109), meretricis nomen est in Terenti Hecyra. Civis Atticae est I G II 2469 (4. saec.) cf. Pros. Att. 14940, meretricis fortasse I G II 836, 55 (3. saec.).

Χρυσίς, quod nomen meretricum Athenis florentium et ineunte et exeunte quarto saeculo fuisse docent titulus Antiphanis (II 110) et Menandri Col. fr. 4 (Koerte) cf. Breitenbach 130, meretricis est etiam in Menandri Samia et in Eunucho (cf. schol. Pers. sat. V 161), in Terenti Andr. 85, in Trabeae fr. 3. Plautus Pseud. 659 nomen dat anui doliari claudae crassae, tabernae dominae. Meretricis iterum est in Luciani dial. mer. 8, mulieris lascivae in Aristaeneti ep. II 15. Nomen civibus quoque usitatum Pros. Att. 15583. Cf. similia nomina meretricum *Χρυσίον* in Alciphronis ep. IV 14, 2 et *Χρυσάριον* in Luciani dial. mer. 1 meretricis Gorgonae matris. Nomen blandiendi causa inditum est.

Haec meretricum nomina in fabulis vel fragmentis comoediarum ipsis Graecis et Latinis invenimus, testimoniis sectatorum [1]) novae comoediae tantum adiuta atque confirmata. Nunc ea nomina afferamus, quae solum apud eos,

[1]) Lucianus in dialogis meretriciis 95 nomina habet, quorum adhuc 52 in comicorum fragmentis, 39 eadem, 13 paulo mutata forma invenimus. Cf. Wendel de nom. bucol. Fleckeis. Jb. suppl. 26 (1901) p. 39. De Alciphrone vid. Sondag. p. 86 et 87.

qui ex comoediae fabulis hauserunt, tradita ex comoedia ipsa deprompta esse licet suspicari.

* Ἀηδόνιον meretricis nomen in Alciphronis ep. III 2,1 ex comoedia fluxisse potest. Cf. Alexid. ap. Ath. 133 c:

σοῦ δ᾽ἐγὼ λαλιστέραν οὐπώποτ᾽εἶδον οὔτε κερκώπην, γύναι, οὐ κίτταν, οὐκ ἀηδόν᾽, ⟨οὐ χελιδόνα⟩, οὐ τρυγόν᾽, οὐ τέττιγα.

Quorum nominum Κερκώπη atque Τρυγών in comoedia meretricum propria sunt. Etiam χελιδών, quae Meineki coniectura certa est sine dubio, nomen proprium in memoriam vocat

* Χελιδόνιον, quod meretrici datur in Luciani dial. mer. 10 et Aristaeneti ep. II 13. Memineris quaeso etiam Verris meretricis Chelidonis, quae nominatur in Cic. orat. Verr. I 40.

Si confidimus Hesychio, qui ἑρπυλλίς synonymum esse dicit vocis τέττιξ

* Ἑρπυλλίς nomen quoque huc inseri licet. Meretricis est in Alciphronis ep. IV 7,2; 10,1. Cuius nominis meretricem Aristotelis amicam fuisse novimus (ex Ath. XIII 589 c. Diog. Laert. V 1). Civis est I G III 2676. Sed cf. interpretationem Bechteli (Frauenn. p. 106).

* Ἀνθράκιον, quod in Alciphronis ep. IV 14, 2 inter meretricum nomina Θεττάλη, Μοσχάριον, Θαΐς, Πετάλη, Θρυαλλίς, Μυρρίνη, Χρυσίον, Εὐξίππη numeratur, Sondag (de nom. apud Alciphronem propriis) p. 86 recte fortasse ex comoedia fluxisse censet [1]), quocum consentio etiam in eo, quod nomen ad oculorum vel comae colorem quam ad cutis referre mavult. Cf. nomen coqui Anthrax Plauti Aul. 287. Nomen in titulo exstat I G II 3018 Ἀνθράκιον Θρᾶιττα.

* Γοργόνα meretrix in Luciani dial. mer. 1 etiam in titulo I G II 836,7 meretricis nomen esse potest. Nomen significat terribilem. Cf. adulescentis nomen Gorgia.

* Δροσίς meretrix in Luciani dial. mer. 10 est. Ex [Dem.] LIX 120 novimus Δροσίδα θεράπαιναν Neaerae atque

[1]) quod aliis nominibus huc allatis probatur.

nomen etiam I G II 3642 exstat. Nomen translatum est de rore. Cf. Bechtel Frauenn. p. 114.

Similia sunt nomina *Σταγόνιον* meretricis, quod affert Apollodorus apud Ath. XIII 586 b, Stalagmus servi in Plauti Captivis et in Naevi titulo.

* *Ἐρατώ* nomen psaltriae in Alciphronis ep. I 15, 4, meretricis in Theophylacti ep. 6 nescio an in comoedia fuerit. Nomen primum musae proprium postea meretricibus datum est. Inferioris ordinis mulierum invenimus I G II 836, 71; 3661; 3273.

* *Ἰόεσσα* meretricis nomen in Luciani dial. mer. 12 alio loco non traditum, dictum est de comae vel oculorum colore cf. *Ἀνθράκιον*.

* *Κλυμένη* meretricis nomen in Alciphronis ep. III 5,1 notum est ex fabula Nereidis proprium. Cf. Galatea, Galene, Neaera. Nomen quod in pyxide rubris figuris ornata (vid. imaginem ap. Dumont et Chaplain Céram. de la Grèce propre tab. 9) mulieri adscriptum est, nescio cuius mulieris est in titulo I G II 766, 11 (a. 340/39).

* *Κόριννα* meretricis nomen est in Luciani dial. mer. 6, in Theophylacti ep. 15, amicae Ovidi. Nomen in pueritia blandiendi causa usitatum proprium factum est. Cf. horum temporum „Bubi" loco praenominis adulescentium viginti vel triginta annorum. Cf. etiam Bechtel Frauenn. p. 64 adn. 6.

* *Κοχλίς* meretrix est in Luciani dial. mer. 15, in Aristaeneti epist. I 28. Nomen alio loco non inventum translatum est a cochlea. Ad significationem in animum voces ambiguitatem verborum concha (cf. Plauti Rud. 703 s.) nostrorumque Schnecke, Muschel.

* *Κυμβάλιον αὐλητρίδος* in Luciani mer. dial. 12 et * *Λύρα* meretricis in mer. dial. 6 nomina, quibuscum comparandum est * *Κρουμάτιον αὐλητρίς* in Alciphronis ep. I 15,4; IV 13,11 et *Πηκτίς* vid. Fick-Bechtel p. 331, comoediam sapiunt, si in animum revocas Apotympanischada

Axionici (III 530). Nomina ab instrumentis musicis esse indita manifestum est. Eodem pertinet nomen *Μαγα⟨δί⟩-διον, quod cum Bechtelo pro tradito Μαγάδιον coniciendum puto, in Luciani mer. dial. 12 psaltriae inditum. Μαγαδίς titulis quoque traditum est cf. Bechtel Frauenn. p. 124.

*Λέαινα meretrix in Luciani dial. mer. 5 et Alciphronis ep. IV 12, cuius nomen Plautus anui tribuit (cf. Chrysis p. 37), sine dubio iam in comoedia Attica fuit. Leaena aeque atque Lais ad Veneris cultum pertinet cf. Dümmler in Pauly-Wissowae encycl. I p. 2731. Cuius nominis meretrices et Harmodi (cf. Ath. XIII 596 f) et Demetri Poliorcetae (Ath. XIII 577 d) novimus. I G II 2719 (c. 232) civis Attica hoc nomen habet, cum Delphis servarum in usu fuisse dicat Bechtel Frauenn. p. 97[2].

*Μυρτάλη meretricis nomen in Luciani mer. dial. 14, in Aristaeneti ep. I 3, II 16, in Herodae mim. I 89, II 65, in Horati c. I 33, 14, in Martialis epigr. V 4 sine dubio e comoedia fluxit. Nomen quarto saeculo civibus quoque datur, Pros. Att. 10492 s., sed etiam servae iam in vase nigro colore picto adscriptum est cf. Klein, die griech. Vasen mit Lieblingsinschriften[2] 1898, p. 44.

Simile nomen *Μύρτιον in Luciani dial. mer. 2, dial. mort. 27,7 meretrici datur. Amicae Ptolemaei Philadelphi hoc nomen fuisse scimus ex Polyb. XIV 11, 4 et Ath. XIII 576 f. Utrumque nomen ad odorem plantae respicit.

*Πυραλλίς tibicinae nomen in Luciani mer. dial. 12, cum translatum sit a columba, similia nomina Chelidonium, Neottis revocat.

*Σιμμίχη meretricis nomen in Luciani dial. mer. 4, catapl. 22 et in Alciphronis epist. IV 13,11 ex comoedia sumptum esse verisimile est. Cf. Simo, Simus, Simylus. Quod nomen alio loco non traditum meretricibus convenisse probatur Aristotelis physiogn. VI p. 811 b_2: *οἱ δὲ σιμὴν (scil. ῥῖνα) ἔχοντες λάγνοι.*

Cf. etiam Simae meretricis nomen in Herodae mim. I 89.

* *Τρύφαινα* meretrix est in Luciani mer. dial. 11. Civis Atticae nomen videtur I G III 1955. Cf. similia nomina: Malthace, Thallusa, Tryphe.

* *Χλόη* meretricis nomen in Horati c. I 23,1. III 7,10. 9,6; 9; 19 et in Martialis epigr. III 53, IV 28, IX 15 revocandum esse ad comoediam monet Wendel de nom. bucol. p. 41. *Χλόη* significat surculum et pari ratione inditum est atque Clonarium, Calyce alia. Ex Cereris cognomine ortum esse censet Bechtel Frauenn. p. 77. Aliunde nomen non novimus.

Servarum nominum, quae nunc tracturi sumus, nonnulla meretricum similia sunt confunduntur que nonnumquam cum eis.

Ἀρχεστράτη (titulus Antiphanis II 27) nomen est nutricis in Plauti Curculione. Quid nomen apud Antiphanem significaverit, incertum est. Nomen etiam civibus Atticis saepe inditum est Pros. Att. 2385-2393.

Archylis in Terenti Andria (228, 481) servae (nutricis?) et in Plauti Truculento (130, 479) servae (obstetricis fortasse Phronesi licet simulatae) nomen est. Quod quamquam Graece non est traditum, tamen cum ab utroque poeta simili ratione usurpetur ex Attica comoedia fluxisse puto.

Astaphium ancillae nomen in Plauti Truculento in Attica quoque comoedia fuisse verisimile est. *Ἀσταφίς* in parthenio carmine Alcmanis mulieris nomen est nihil turpe indicans, cum ex epigr. anth. Pal. V 19:

οὔτε με παρθενικῆς τέρπει γάμος οὔτε γεραιῆς·
τὴν μὲν ἐποικτείρω, τὴν δὲ καταιδέομαι.
εἴη μήτ' ὄμφαξ μήτ' ἀσταφίς· ἡ δὲ πέπειρος
ἐς Κυπρίδος θαλάμους ὡρία ἁδροσύνη

et Luciani catapl. 5 appareat nomen dici ad provectam aetatem irridendam. Itaque componi potest cum Ischados comoediae nomine cf. etiam

Staphyle anus nomen in Plauti Aulularia, quod respicit ad vocem *σταφυλή* i. e. uva matura.

Bromia ancillae in Plauti Amphitryone nomen est, simile atque Bacchis.

*Δορκάς (cf. Dorcium p. 32) servae nomen in Luciani mer. dial. 9, in anth. Pal. V 182 et 187, vel in comoedia servis quoque inditum est vel a meretricibus translatum. I G II 660,47 peregrina est.

Δωριάς ancillae nomen est in Terenti Eunucho et Δωρίς ancillae in Menandri Periciromene, Colace 18, in Diphili Mnematio fr. 56, in Luciani dial. mer. 2, in Aristaeneti ep. I 22, II 4. Servae videtur in comoediae incertae papyro Florentina (Vitelli, Pap. Greci e Latini 99 p. 166 ss. [1]), ubi colloquuntur Doris et Cerdo. In Alciphronis ep. II 19,9 est μουσουργός, in anth. Pal. V 244 scortum, in Petroni 126 exemplum meretricii nominis. De comoedia quoque cogitat Juvenal. sat. I 3,93:

> an melior quum Thaida sustinet aut quum
> uxorem comoedus agit vel Dorida nullo
> cultam palliolo.

Nomen igitur et servis et meretricibus datum est. Translatum autem est e fabula, etiamsi aliter quoque intellegi potest cf. Bechtel Frauenn. p. 12; 60; 75 et Lambertz, die griech. Sklavennamen I 28 (57. u. 58. Jahresber. d. k. k. Gymn. im VIII. Bezirk zu Wien, 1907, 1908). Talia nomina plerumque mulierum inferioris ordinis propria sunt cf. I G II 766,57; 1569; 3643, sed I G II 1561 Δωρὶς ἱερεωμένη (4. saec.) exstat.

Thessala servae nomen Plauti Amph. 770 sine dubio iam in Graeca comoedia fuit. Etiamsi Menandri titulus ad mulierem Thessalam magicam spectare dicit Plinius n. h. XXX 2, habemus meretricem Θεττάλην in Alciphronis ep. IV 6; 10; 14. Cf. Aristophanis Nub. 749: γυναῖκα Θεττάλην. Peregrinae nomen est I G II 4108: Θετ[τ]άλη Πυρρίου γυνή.

Canthara servae nomen in Plauti Epidico 567, in Terenti Andria, anus nutricis in Adelphis non dubito quin ex comoedia Attica haustum sit. De interpretatione nominis

[1]) Inspicere mihi licuit plagulam Alfredo Koerte a Vitellio missam.

cf. Bechtel Spitzn. 57, Frauenn. 96. Mihi potius nomen referendum videtur ad κάνθαρος poculum et significare eam, quae vino se dederit cf. Schmidt Herm. 37, p. 181. Servae nomen est in titulo Collitz 1348. (Collitz-Bechtel, griech. Dialektinschriften).

Sed Κάνθαρος servi nomen in Luciani drap. 28 a cantharo scarabaeo ductum esse videtur cf. nomen in Philemonis fr. 33 et Philhetaeri fr. 4.

Casina ancillae nomen in Plauti Casina revocandum est ad κασία cf. Curc. 101. Cum simile nomen sit atque Myrrhine Sisymbrium, fortasse ex comoedia id sumptum esse et Leo et Schmidt censent.

Λεσβία obstetricis nomen in Terenti Andria, servae in Luciani dial. mer. 2, ab insulae nomine derivatum, sine dubio ex comoedia fluxit. In Horati ep. 12,17 lenae nomen videtur.

Μανία, de qua supra p. 8, in Menandri fr. 943 serva est. Nomen Phrygicum est cf. Manes. Apud Machonem (Ath. XIII 587 b) meretrix quaedam primum nomen Maniae cum elegantiore Melittae commutavit. In Aeliani ep. 1 et 2 nomen est servae meretricis.

Miletis servae meretricis esse nomen videtur in Caecili fr. 65:

Habes Miletida[m] · ego illam huic despondebo
et gnato saltum obsipiam.

(In libris est Miletidam, sed Bothi coniecturam accipiendam esse puto, cum ex sequenti „illam“ facile potuerit oriri Miletidam). Simile nomen Μιλησία servae est Delphis (a. 189) cf. Fick-Bechtel p. 344. Nomen ex comoedia Attica promptum esse verisimile est.

Μυρτίλη (cf. Myrtale, Myrrhine) nomen nutricis est in Menandri Arrephoro fr. 66, cf. p. 40.

Mysis ancillae nomen in Terenti Andria, quod hoc solum loco invenimus, videtur ut alia a gentium locorumque nominibus ducta iam in comoedia Attica fuisse.

Pythias ancillae nomen est in Terenti Eunucho et in Caecili (codd. Lucili) fr. 37 cf. Horati epist. II 3,238: audax Pythias. Apud Dion. Cass. 62,13 Octaviae ancilla Pythias nominatur. I G XII 4,1302 serva *Πυθιάς* exstat. Non dubito, quin nomen in comoedia Attica et meretricum (cf. p. 36) et servarum fuerit.

Σιβύνη est famula coqui in Batonis fr. 4. Nomen alio loco non inveni. De interpretatione cf. Bechtel Frauenn. p. 123.

Stephanium ancillae nomen in Plauti Sticho comoediae Atticae deberi apparet ex servi nomine Stephanio cf. p. 50, Schmidt, Herm. 37, p. 208.

Σύρα, quod nomen iam Aristoph. Pac. 1146 servae fuit, inditur a Philemone (fr. 125) anui, ab Apollodoro Carystio in Hecyra fr. 8 anui lenae, a Plauto in Mercatore ancillae, tonstrici Truc. 405, a Terentio in Hecyra anui lenae. In Caecili quoque fr. 221 lena significari videtur:

„Egon vitam meam Atticam contendam cum istac rusticana, Syra?"

Ita enim distinguendum videtur esse. Syrae ergo saepe lenae videntur fuisse, ut Lesbiae obstetrices, Threissae veneficae. Servae nomen est I G VII 1780.

Σωφρόνη nutricis nomen est in Menandri Heroe et Epitrepontibus, in Terenti Eunucho et Phormione, deinde in Aristaeneti ep. I 6. Nomen ductum a *σώφρων* in titulo exstat I G II 4169, servae est apud Collitz Dialektinschr. 1947. Priscianus (Keil. gr. L. II 148) inter nomina in-um exeuntia, „quae apud comicos feminarum propria sunt", etiam Sophronium habet.

Τρύφη servae nomen est in Alexidis *Τοξίστη* fr. 230, in Menandri Samia fr. 1 (*τρυφῇ* cod. corr. Scaliger). Nomen quod in Aeliani ep. 11;12 mulieri datur, etiam I G II 989 II 8 mulieris est, quae in sodalitate quadam versatur. Cf. nomina Tryphaena, Malthace.

Phidullium ancillae meretricis nomen in Plauti Cornicula fr. 5 Leo, quocum compares nomen Phidyle in Horati c. III 23,2 (puellae rusticae), ex comoedia Attica fluxisse verisimile est, si nominum Phidonis, Phidyli senum rusticorum memor es. Nomen *Φείδυλλα* gerunt etiam cives Atticae Pros. Att. 14172 s.

Philtera servae anus nomen Terenti Hau. 662 fortasse ad comoediam Atticam recedit, cf. meretricum nomina Phila, Philotis. Sane concedendum est nomen a *φιλεῖν* tractum servis non ita aptum esse, sed nonnulla novimus nomina servis simul et meretricibus indita a poetis comicis. Nomen est sacerdotis Atticae Pros. Att. 14786.

Φρυγία servae nomen est in Menandri fr. 940, in Plauti Aul. 333 tibicinae, in Terenti Hau. et Ad. 973, deinde in Aeliani ep. 8 et 19 ancillae. Peregrinae videtur in titulo sexti saeculi (Lolling *κατάλ. τ. ἐν Ἀθήν. ἐπιγρ. μουσ.* I 13 no. XLIV): *Φρυγία ἡ ἀρτόπωλ[ις]*.

Tria nomina, quae comica videntur, huc inserere liceat.

**Λύδη* serva Myrtalae meretricis in Luciani dial. mer. 14 est. Meretrices eius nominis ex Ath. XIII 597 a novimus. Nomen I G III 1737 civis Atticae est, peregrinae II 3898.

**Νεβρίς* servae nomen est in Luciani dial. mer. 10. Idem nomen in Alciphronis III 31,1 virgini datur, quo loco Sondag p. 51 *Νευρίδα* codicis *Γ* defendere vult, quod mihi orthographia tantum diversum videtur a *Νεβρίδα*, quod ex *Νεβίδα* cod. Harl. et Ven. restituit Valckenarius. Cf. similia nomina Dorcis, Moschis, Elaphium.

**Παίγνιον* secundum Bekk. anecd. 293,12 *ὄνομα κύριόν ἐστι δούλης τινός*. Si in animum vocas a Plauto servum ita (Paegnium) nominatum esse, hoc nomen comoediae deberi conicias. Cf. Anaxandridis fr. 9,3.

Iam reliqua sunt servorum nomina.

Γέτας servus est in Menandri Heroe, Periciromene, Misumeno, in Terenti Phormione et Adelphis, in Plauti

Truculento 577 Cyamus servus vocatur „noster Geta". Cf. Ovid. a. a. III 332: ars vafri Getae. In titulo I G II 959 c 4 servus hoc nomen habet. Ortum autem est ex gentis Thraciae nomine Getarum.

Δᾶος servus est in Menandri Heroe, Epitrepontibus, Periciromene, Georgo, Perinthia, Eunucho, in adesp. fr. 287, in Plauti Amphitryone 365, fr. inc. XXVII (Leo), in Terenti Andria, Phormione, in Caecili titulo, in pall. inc. inc. fr. 59, deinde in Herodae mim. V 68, in anth. Pal. epigr. XIV 123, 10 (una cum Onesimo, Syro, Tibio), in Horati sat. II 7,2. Ex Philostrati sen. imag. 1,3 discimus Aesopum servos saepe Davos nominasse. De usu comico cogitant Galenus I p. 69 (= 2,67): *τοῖς ὑπὸ Μενάνδρου κατὰ τὰς κωμῳδίας εἰσαγομένοις οἰκέταις Δάοις τέ τισι καὶ Γέταις* et Horatius in sat. I 10,40: Davoque Chremeta eludente. Nomen in titulis quoque servorum legitur velut I G II add. 834 b I 25 (a. 329). Servus ita nominatur a gente Dacorum.

Δάρδανος Menandri et Caecili titulus servi nomen esse potest, vide Breitenbach p. 100. Cf. Dardanis p. 8.

Discus servi nomen est in Terenti Eunucho 608. Nomen traditum est titulis Bull. de Corresp. Hellen. VII 106, 10 metoeci Delii, apud Collitz 2190,5 servi Delphici. Nomen inditum est ab artificio disci emittendi cf. Bechtel, Spitzn. 51. Fortasse ad comoediam Atticam recedit.

Δόναξ servus est in incertae comoediae fragmento Ghoranensi B. C. H. XXX 103 fr. V col. I 4 et VI 4 et in Terenti Eun. 772, 774. Ex Diog. Laert. V 2,14 Theophrasti servum hoc nomen habuisse scimus. I G II 3066 *Δόναξ ὁ Κιανός*. De interpretatione nominis vid. Bechtel Spitzn. p. 16.

Δρόμων servi nomen est in Dionysi fr. 3, in Euangeli 1, in Plauti Asinaria 441, Aulularia 398, in Terenti Andria, Hautontimorumeno, Adelphis, deinde in Luciani dial. mer. 10 et 12, in Alciphronis ep. III 21,1.

Nomen servo aptissimum et in Attica et tota Graecia usitatum est. Sed in Euphronis Synephebis fr. 10 non servi, sed hominis inferioris ordinis est.

Dorus eunuchi nomen in Terenti Eunucho, ad gentis nomen referendum (nisi ad δῶρον Fick-Bechtel 106), ex comoedia Attica fluxisse verisimile est, cf. Doris, Dorias. Servi nomen est I G VII 952 (Tanagrae).

Epidicus servus est in Plauti Epidico et in pall. inc. inc. fr. 18:

quid ais, Epidice? tibi facilior erit amor

(pro Epidice libri habent epidia), cf. de nomine Schmidt, Herm. 37, p. 187 s.

(Thylacus nomen aliunde non cognitum secundum Donatum (ad Andr. I 3,21) servis comicis inditum est ex qualitate corporis. *θύλακος* significat saccum. Nomen magis Plauti quam Graecorum comicorum nominum rationem redolet).

Καρίων, cf. supra p. 13, servus est in Euphronis Synephebis fr. 10, in fr. adesp. 306, in Plauti Mil. 1397, 1427, deinde in Alciphronis ep. III 17,1, in Luciani catapl. 12, apud Petronium 70 et 71, in Themisti orat. XXI p. 262 c; in scaena phlyacica ab Asstea in cratere picta servo nomen *Καρίων* adscriptum est. Cf. Furtwängler Berl. Vas. 3044. Heydemann A. Jb. I p. 282. In titulo I G II 324 b 51 una cum Parmenone nominatur. Nomen a gentis nomine Carum servis inditum est cf. Fick-Bechtel 342.

Κέρδων servi nomen videtur in incertae comoediae papyro Florentina (Vitelli Pap. Greci e Latini 99 p. 166 ss.), ubi cum Doride ancilla colloquitur. In Euphronis Synephebis fr. 10 si non servi, at inferioris ordinis hominis est. In Demosthenis oratione in Nicostratum 53,19 Arethusii servus ita nominatur. Nomen revocandum est ad *κέρδος* cf. Fick-Bechtel p. 160. Sutori Herodae (mim. VII; VI 48) nomen ad mores signandos inditum est.

Cilix servus est in Plauti fr. inc. 29 (Leo). Nomen in comoedia Attica fuisse verisimile est.

Lampadio servus est in Plauti Cistellaria et in fr. pall. inc. inc. 96:
„Quid tristiorem video te esse quam antidhac, Lampadio? numquid familiaris filius amat nec spes est auxili“ e. q. s. (ad servum dicta esse haec est manifestum). Etiam Naevi titulus est. Quamquam nomen Graece non traditum est, tamen ex comoedia Attica fluxisse videtur. Cf. Lychnus, Lampas.

Λίβυς nomen servi usitatissimum (cf. Fick-Bechtel 336) in comoedia solum ex Menandri Hydria fr. 469 notum est.

Lydus servi nomen est in Plauti Bacchidibus et Corniculae fr. 6 Leo, in Atili fr. 4. Nomen servis usitatum fuisse ex Strabon. VII 304 apparet. Cf. etiam anth. Pal. VII 178.

Λυκίσκος, qui in Plauti fr. inc. 29 (Leo) servus est, num in Alexidis titulo (II 347) servum significet, non constat cf. Breitenbach p. 59. Apud Horatium ep. 11,24 pueri amati nomen est. Etiam civium Atticorum in usu erat Pros. Att. 9214.

Μάνης, de quo supra cf. p. 13, in Alexidis Asotodidascalo fr. 25 servus est.

Μίδας, de quo vid. p. 10, servus est in Euphronis Aeschra fr. 2, in Terenti Phorm. 862, deinde in Luciani philops. 11 et catapl. 11. Nomen Phrygicum cf. Strabon. VII 304 servi est I G II 1327.

Νουμήνιος servus est in incertae comoediae fragmento Hibehensi (Hib. pap. I 30 II 7), in Alciphronis ep. II 36,1. Nomen usitatum fuisse in comoedia intellegi potest ex Helladii loco Phot. bibl. 532 b 35:

ὅτι οἱ κωμικοὶ τοὺς οἰκέτας ἐκάλουν . . καὶ ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἐν ᾗ ὠνήσαντο τὸν οἰκέτην, ἐξ οὗ καὶ τοὺς Νουμηνίας[1]) *ὠνόμαζον.* Cf. Sondag p. 61;87.

Ξανθίας servus partes egit in Alexidis Asotodidascalo cf. Ath. VIII 336 d e. Cf. p. 10.

---

[1]) Sic! nescio an corrigendum *Νουμηνίους*.

Ὀνήσιμος servus est in Menandri Epitrepontibus, deinde in anth. Pal. XI 74, XIV 123. Philemonis cuiusdam servus ita nominatur in epist. Pauli ad Philem. 10 (NT). In titulis quoque nomen exstat I G II 3931. Sed etiam civium Atticorum est in usu cf. Pros. Att. 11452—54. Nomen ductum est ab *ὀνῆσαι*.

Παρμένων, de quo vid. p. 10, servus est in Menandri Samia, in Philemonis Moecho fr. 44, in florilegio papyraceo Berolinensi (Berl. Klass. Texte V, 2, 129), in Plauti fr. inc. 29 Leo, ut nomen servis usitatum commemoratur in Plauti Bacchidibus 649:

non mihi isti placent Parmenones, Syri,
qui duas aut tres minas auferunt eris.

Servus est etiam in Terenti Eunucho, Hecyra, Adelphis 168, in Caecili fr. 50:

Ossiculatim Parmenonem de via liceat legant

deinde in Luciani dial. mer. 9, in Alciphronis ep. II 18,1 (coni.), in Aeliani ep. 9. Cf. etiam Photi bibl. p. 532 b, 35 (Bekk.) et Donati comm. ad Ad. I 1,1. Nomen significat eum qui *παραμένει*. Sed nomen etiam civibus Atticis inditur cf. Pros. Att. 11640-43. Atque puto Parmenonem in his tribus Menandri fragmentis non tam significare servum, quam civem et eum adulescentem. Perlegas quaeso fr. 407 Plocii:

ὦ Παρμένων, οὐκ ἔστιν ἀγαθὸν τῷ βίῳ
φυόμενον ὥσπερ δένδρον ἐκ ῥίζης μιᾶς,
ἀλλ' ἐγγὺς ἀγαθοῦ παραπέφυκε καὶ κακόν,
ἐκ τοῦ κακοῦ τ' ἤνεγκεν ἀγαθὸν ἡ φύσις

et fr. 481 Hypobolimaei:

τοῦτον εὐτυχέστατον λέγω
ὅστις θεωρήσας ἀλύπως, Παρμένων,
τὰ σεμνὰ ταῦτ' ἀπῆλθεν, ὅθεν ἦλθεν, ταχύ,
τὸν ἥλιον τὸν κοινόν, ἄστρ', ὕδωρ, νέφη,
πῦρ. ταῦτα κἂν ἑκατὸν ἔτη βιῷς, ἀεί
ὄψει παρόντα

et fr. 649 (fab. inc.):

τὸ γυναῖκ' ἔχειν, εἶναί τε παίδων, Παρμένων,
πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει.

Mea quidem sententia vix potest fieri, ut haec verba ad servum dicta sint, sed senex adulescentem alloqui videtur. Quod si verum est, concedendum est Menandrum hoc nomen et servis et adulescentibus indidisse. Cf. p. 62.

Πίστος, de quo vid. p. 14, servus est in Plauti Merc. 278, etiam in Herodae mim. VII 6; 54. Cf. Phot. bibl. 532,40 (Bekk.). Peregrini nomen est I G II 3241. Significatione autem simile est nomini Parmenonis.

Πυρρίας, de quo vid. p. 10, servi nomen est in Menandri Perinthia, in Terenti Andria (Byrria), deinde in Herodae mim. V, in Alciphronis ep. II 39,1, in Luciani necyom. 15, Tim. 22 (ἀντὶ τοῦ τέως Πυρρίου ἢ Δρόμωνος Μεγακλῆς ἢ Μεγάβυζος μετονομασθείς), de merc. cond. 23. In titulo I G II 768,26 (exeuntis 4. saeculi) servi manu missi nomen est.

Sagarastio servus in Plauti Persa et
Σαγγάριος servus in Menandri Heroe et
Sangarinus servus in Plauti Sticho et
Sangario servus Plauti Trin. 1105 et
Sanga servus in Terenti Eunucho omnia sunt Phrygica nomina a fluminis Sangarii nomine ducta.

Sannio servi nomen est in Terenti Eunucho (780), lenonis in Adelphis. Cf. p. 53.

Σιμαλίων servi nomen est in Terenti Eunucho (772), cum in Alciphronis ep. IV 8 et 9 adulescentis sit. Sed in anth. Pal. XI 744 simile nomen Σίμαλος servo est. Atque nomen ex Attica comoedia fluxisse certum, ibique iam servis inditum esse verisimile est.

Stephanio servi nomen est in Terenti Adelphis (380), in Turpili fr. 51. A Plinio (n. h. 48) libertinus huius nominis memoratur. Ex comoedia Attica autem sumptum esse nomine Stephanii ancillae in Plauti Sticho probatur.

Στρόβιλος servus est in comoedia incerta in vico Hibeh reperta (Hib. pap. I p. 26 cf. Leo Herm. 41,629) et in Plauti Aulularia. Cf. Schmidt Herm. 37,209.

Συρίσκος servus est in Menandri Epitrepontibus, in Anaxippi *Φρέατι* fr. 8, in Terenti Eunucho v. 772. Servi quoque nomen est in titulo (Ion. Inschr. 234 a 11). Nomen autem hypocoristicum Syri nominis esse etiam ex Terenti Ad. 763 cognosci potest, ubi Syrus se ipso contentus nomen Syrisci sibi tribuit.

Σύρος, de quo supra p. 14, servus est in Menandri Georgo (39), in Hegesippi Adelphis fr. 1, in Plauti Pseudolo (636), Bacchidibus (649), in Terenti Hautontimorumeno, Adelphis. Ut usitatum servi nomen in Horati sat. I 6,38 ponitur. Cf. Strabon. VII 304, Dem. 45,86. Cf. nomen libertini Publili Syri.

Σωσίας, cf. supra p. 11, servi nomen est in Menandri Periciromene, Colace fr. 1 (Koerte), Arrephoro fr. 69, in Philemonis fr. 96, in Stephani Philolacone fr. 1, in Plauti Amphitryone, in fr. inc. 29 (Leo) (Sosio mutandum est in Sosia), in Terenti Hecyra, deinde in Alciphronis ep. I 21,1, in Aristaeneti II 11, in Synesii 3 (*εἰς Σωσίας τε καὶ Τιβίους*), liberti coqui in Terenti Andria. In Theophrasti char. 28,2 exemplum servi nominis est. Civibus quoque Atticis inditum est Pros. Att. 13176—82, nec non servis I G II 768,4 (exeunte 4. saec.), 1327 (medio 4. saec.). Revocandum autem est nomen ad *σῴζειν*. De significatione nominis cogitat Plato Cratyl. p. 397 b: *πολλὰ δ' ὥσπερ εὐχόμενοι τίθενται οἷον Εὐτυχίδην καὶ Σωσίαν καὶ Θεόφιλον καὶ ἄλλα πολλά.*

Τίβειος servi nomen est in Menandri Heroe, Perinthia, fr. 1075, etiam in fr. 231 Thettales et fr. 330 Misogynis Headlam hoc nomen probabili coniectura restituit, deinde in Luciani dial. mer. 9, Tim. 22, Gall. 29, de merc. cond. 25, Philops. 30, in anth. Pal. XIV 123, in Synesii ep. 3. In Theophrasti char. 9,3 servus est impudentis (*ἀναισχύντου*). Tibius nomen est Paphlagonicum secundum Strabonem VII 304, Phrygium secundum Stephanum Byzantium s. v. *Τίβειον*. In titulis nomen semper scriptum est *Τίβειος*, non *Τίβιος*. Cf. I G II add. 834 b I 69 (a. 329/8).

Phaedria alibi adulescentis nomen cf. p. 25 in Turpili fr. 93 servi videtur.

Phaniscus servi in Plauti Mostellaria nomen ex simili nomine comico Phania derivatum Graecum esse potest. Cf. Schmidt Herm. 37, p. 199.

Phryx, de quo supra p. 11, servi nomen est in Turpili fr. 102:

viden tu Frugis incessum? quam est confidens!
di istunc perduint!

Coqui qui in nova comoedia tam saepe prodeunt nomine plerumque carent, laudant saepissime suos magistros, coquos re vera Athenis florentes (cf. Rankin, the rôle of μάγειροι in the life of the ancient Greeks Chicago 1907, p. 29 ss.).

Σιμμίαν coquum esse in Menandri Epitrepontibus suspicatur Koerte, coqui nomen est in Dionysi Thesmophoro fr. 2. Cf. Pros. Att. 12664 s.

Λύκος discipulus coqui a magistro appellatur in Euphronis Adelphis fr. 1. Cf. Pros. Att. 9242 ss.

Gerunt igitur coqui nomina, quae et civibus et servis indi potuerunt. Neque enim servi esse solent, sed plerumque peregrini vel liberti, cf. Sosiam libertum coquum in Terenti Andria.

Jam relinquitur, ut nomina nonnulla personarum perlustremus, quas novae comoediae poetae studio atque amore in scaenam producere solebant praeter eas, quas iam memoravimus: lenonum militum parasitorum dico. Quas personas non a novae poetis primum inductas esse, sed inde ab Epicharmo, parasitos saltem, in comoedia usitatas fuisse constat. In his autem nominandis novae quoque comoediae poetae antiquos secuti id potissimum egerunt, ut nominibus ipsis personarum indolem exprimerent.

Primum de lenonum nominibus agam.

Βαλλίων in Axionici Tyrreno fr. 1 cognomen est lenonis Pythodeli. Nomen aliunde non notum (si comoediam

neglegimus) recte refertur a Bechtelo (Spitzn. p. 32)[1]) ad *φάλλια* et comparatur cum similibus *Σάθων* (a *σάθη*), *Πόσθων* (a *πόσθη*). Nomen ergo lenoni aptum est. Itaque postea a Plauto lenoni in Pseudolo inditur. Cf. Cic. pro Rosc. com. 20: „Ballionem illum improbissimum et periurissimum lenonem agit" et Phil. II 15: „Antonius dat nataliciam, in hortis, cui? neminem nominabo: putate tum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum etiam Ballioni".

D o r i o lenonis in Terenti Phormione nomen, quocum compares Dori eunuchi in Eunucho, aut ad gentis nomen revocandum est atque non plus valet quam servi nomen aut ad *δῶρον* (cf. Fick-Bechtel 104) atque ita magis convenit lenoni, qui si non dat, at tamen accipit *δῶρα*. (In Mnesimachi fr. 10 ad certum tibicinem spectat nomen cf. Ath. VIII 337 b—338 a).

S a n n i o lenonis nomen in Terenti Adelphis, quod Eun. 780 nescio cui servo datur, fortasse idem significat quod Ballio, si fidem habemus Hesychio: *σάννιον· τὸ αἰδοῖον ἀντὶ τοῦ κέρκιον*. Nomen autem civibus quoque Atticis inditur cf. Pros. Att. 12552 s.

De nomine Sannionis in fabula Atellana vide Dieterich, Pulcinella p. 236 s., cf. etiam Bechtel Spitzn. 66.

Ψ ύ λ λ ο ς in Menandri Messenia fr. 37 lenonis fortasse nomen est ut in anth. Pal. VII 403. *ψύλλος* idem est atque pulex. Ad nominis interpretationem videas Plaut. Curc. 501. Comparari possunt *Ψύλλα* serva in Herodae mim. VIII et *Κώνωψ* servus Ach. Tat. II 22.

Etiam lenonum nomina in Herodae mim. II 76 **Σ ι σ υ μ β ρ ᾶ ς* et **Σ ι σ υ μ β ρ ί σ κ ο ς* ad comoediam referri posse puto. Sunt autem haec nomina patris et avi Battali lenonis, qui et ipsi lenones fuerant. Nomen duxerunt a planta odorata, quam domus redolebat. Ex comoedia novimus meretricis nomen Sisymbrium Theophil. Philauli fr. 11. Cf. Crusius ad Herodae mim. p. 46, Bechtel Spitzn. 76.

[1]) Cf. Wilamowitz Arist. u. Ath. II 177.

Nunc de militum nominibus disserendum est.

Βίας militis nomen est in Menandri Colace. Nomen etiam aliunde notum, sed non Atticum referendum est ad βία. Notatu autem dignum est, quod ille Bias Menandri hoc nomen ipse sibi indidisse videtur cf. v. 32 a Wilamowitzio sic expletum

ὁ δέ ποτε Βῖθυς γέγονεν ἐξ]αίφνης Βίας.

Θρασυλέων fabulae Menandreae titulus (III 69) militis nomen est. Cf. Julian. misopog. 349c: ἐνόμισας ἂν Σμικρίνην ὁρᾶν ἢ Θρασυλέοντα, δύσκολον πρεσβύτην ἢ στρατιώτην ἀνόητον et Plut. Non posse suaviter vivi 13. In Aeliani ep. 9 miles ita nominatur. Nomen autem Atticum est cf. Pros. Att. 7329 ss.

Θράσων in Menandri fr. 344 forsitan militis nomen sit. Num pro Θράσων Θρασωνίδης scribendum fragmentumque Misumeno tribuendum sit, non certum est[1]). Miles est in Terenti Eunucho. Quid nomen in titulo Alexidis (II 326) significaverit, non constat cf. Breitenbach p. 59 ss.; Lucianus in dial. mer. 12 adulescenti dat. Nomen in Attica frequens est Pros. Att. 7375—7395.

Θρασωνίδης militis nomen in Menandri Misumeno vid. praeter Plutarchi locum ad Thrasyleonta allatum Liban. IV 512,1: τὸν Μενάνδρου Θρασωνίδην . . στρατιωτικὴν γάρ φησιν ἀηδίαν νοσοῦντα τὸν ἄνθρωπον εἰς ἀπέχθειαν αὐτῷ κινῆσαι τὴν ἐρωμένην. In Alciphronis ep. II 13 nomen gerit adulescens, qui militiam agriculturae anteponit. Nomen Atticum est cf. Pros. Att. 7396 ss.

*Δεινόμαχος militis Aetolici nomen in Luciani dial. mer. 15 comoediam sapit, cf. Κλεόμαχος. Nomen in tabella Attica I G III 3,11 servi videtur.

Κλεόμαχος in Plauti Bacchidibus militis est nomen. Tertullianus (de pall. 4) de pugili quodam Cleomacho narrat, qui merito a mimographo Lentulo in Catinensibus commemoratus sit. Quamquam igitur nomen in mimo certum

[1]) Cf. Koerte Men.[2] Mis. fr. 14*.

hominem significasse videtur, tamen sine dubio vis quoque nominis in eo sensa est. Nomen civibus Atticis non inusitatum est Pros. Att. 8754 ss.

*Λεόντιχος militis gloriosi nomen in Luciani dial. mer. 13 fortasse ad comoediam revocandum est, cf. Thrasyleon. Nomen Atticum est cf. Pros. Att. 9036 ss.

Πολέμων miles est in Menandri Periciromene, in Luciani dial. mer. 9, in anth. Pal. V 217, XI 210. In Aristaeneti ep. I 22 ὁ βδελυρὸς Πολέμων rivalis est Charisi apud Glyceram. Nomen frequens est cf. Pros. Att. 11885—91.

Στρατοφάνης miles est in Menandri Sicyonio fr. 442 et in Plauti Truculento. Nomen alibi non traditum militi quidem aptum est.

Στράτων miles est Terenti Eun. 414, ad quem versum adnotat Donatus: „Strato, nomen accomodatum militiae". Etiam in comoediae incertae papyro Florentina (Vitelli pap. Gr. e Lat. 99 p. 166 s.) nomen occurrit militis ni fallor (cf. v. 22 τοὺς συμμάχους). Sed nomen in Menandri Nauclero fr. 348 et in Plauti Asinariae v. 344 senis, in Alciphronis ep. IV 6,2 adulescentis est. Nomen in Attica frequens est, cf. Pros. Att. 12963—13003.

Σώστρατος in novae comoediae fragmento Hibehensi (Hib. pap. I p. 33,122) forsitan militis nomen sit, si v. 95 ἐπὶ στρατοπε[δ..]π ad eum pertinet.

Ad extremum parasitorum nomina exponamus. Quae ex media comoedia novimus nomina, certos significare constat.

E novae comoediae parasitis unus sine dubio nomen duxit a parasito, qui re vera illa aetate vixit: Phormio apud Athenaeum VI 244 f parasitus Seleuci commemoratur. De eo nominatus est Phormio Terenti parasitus, qui fabulae titulum dedit. Idem nomen exstat in Apollodori Carystii Diabolo fr. 7. Receperitne Terentius Phormionis nomen ex hac Apollodori fabula an ex eiusdem Epidicazomeno, quam fabulam Phormionem nominavit (cf. v. 25 s.), non constat cf. Donat. ad v. 26.

G n a t h o parasitus est in Terenti Eunucho, etiam in Alciphronis ep. II 32, III 8 (cf. III 41 *Μονόγναθος*), in Luciani drap. 19 et Tim. 45 (*Γναθωνίδης*), apud Longum IV 10 (cf. v. 11 *οὐδὲν ἄλλο ὢν ἢ γνάθος*). Quod nomen iam in quinti saeculi titulis invenitur cf. Ion. Inschr. 19,176 et Bechtel Spitzn. p. 29. Nomen a *γνάθος* maxilla derivatum optime quadrat ad parasitos, quibus primum cognominis loco tum nomen inditum esse puto. Ex Plutarchi libello de lat. viv. 1 novimus Gnathonem Siciliensem, qui cum Philoxeno Eryxidis filio ex Athenaeo I 6 b et V 220 b noto nominatur. Fortasse hic quoque, a mediae comoediae poetis derisus, auctor est usus comici huius nominis. Cf. Plut. quaest. conv. VII 6,2: *εἰ δὴ Γνάθων γέγονε δεινότατος ἄνθρωπος τἀλλότρια δειπνεῖν*, quod ex comoedia esse sumptum videtur.

Θ ή ρ ω ν parasitus est in Menandri fr. 937. Cf. Luciani epigr. 2, ubi Thero Menippi filius toto patrimonio consumpto ab Euctemone (!) adiuvatur. Nomen in usu fuisse ad designandum parasitum apparet ex Hesychi loco s. v. *Κλείσοφος*: *ἐπεὶ οἱ Ἕλληνες Κλεισόφους τε ᾄδουσιν καὶ Θήρωνας καὶ Στρουθίας καὶ Χαιρεφῶντας ἀνθρώπους ἐσθίειν εἰδότας εἰς κόρον.* Nomen revocandum ad *θήρα* Atticum est cf. Pros. Att. 7240 s.

Σ τ ρ ο υ θ ί α ς parasitus est in Menandri Colace, etiam in Alciphronis ep. III 7,1 (cf. I 9 *Στρουθίων*). Cf. Luciani drap. 19: *κολακείας ἕνεκα τὸν Γναθωνίδην ἢ τὸν Στρουθίαν ὑπερβαλέσθαι δυνάμενοι.* In Aeliani var. hist. fr. 107; 108 nominatus est inter *ἀνθρώπους ἐσθίειν εἰδότας καὶ δεινοὺς γαστέρα.* Nomen ductum est a *στρουθός*, de interpretatione cf. Bechtel Spitzn. 17,63. Aptum autem est nomen parasito. Cf. etiam Hesychi locum supra exscriptum.

Duo Alciphronis et Luciani nomina liceat addere.

In Alciphronis ep. III 19 parasitus **Α ὐ τ ό κ λ η τ ο ς* nominatur. Cuius rei causa cum parasiti saepe rideantur cf. Timocl. fr. 11, nomen ex comoedia fluxisse puto cum

Sondagio (p.87). Nomen autem derivatum est ab Attico Αὐτοκλῆς.

Parasiti nomen in Luciani dial. mer. 13 *Χηνίδας item a comoedia pendere potest. Pertinet ad χαίνειν hiare, aliunde non notum est.

Singulis nominibus perlustratis iam videamus, quas rationes poetae in eligendis eis observaverint.

Incipiamus a senum nominibus. Ac primum quidem omnia senum nomina vere Attica vel ab Atticis derivata sunt praeter Hegionem et Cnemonem, quae adhuc in Attica non inventa sunt. Deinde si nomina percurrimus, nonnulla ab eadem radice esse ducta cognoscimus. Quae nunc ordine stirpium hic proferre liceat. Discerni autem potest inter nomina honestatis gratia et vitii deridendi causa indita.

Inter honesta habeam haec:

A stirpe δῆμος ducta: Demea, Demylus, Demaenetus, Demarchus, Demipho, Menedemus, Lysidamus, Archidemides, Callidemides.

Haec nomina civibus convenisse videas ex Theophr. char. 28,2, ubi narratur de aliquo patrem eius Sosiam servum, postquam miles factus esset, Sosistratum, deinde ut civem Sosidemum se nominavisse. Non recte autem contendit Süss (de person. antiquae com. Att. usu atque origine p. 103) in hoc δῆμος inesse notationem ruris, sed nomina electa sunt ut honesta senibusque honestis apta, qua opinione confirmamur ceteris, quae nunc afferamus.

Ad radices ἄρχειν, ἡγεῖσθαι, κρατεῖν pertinent: Archidemides, Architeles, Archonides, Demarchus, Hegio, Crato, Cratinus, Phanocrates.

Deinde ducta a variis stirpibus: Sosthenes, Phania, Crito, Cleaenetus, Callicles, Callipho.

Haec nomina senibus dantur non ad mores illustrandos, sed ut apta civibus honestis.

Alia autem nomina respiciunt senectutis vitia et corporis et morum. In illis numerem: Cnemo, Simo, Simus, Simylus, Pataecus, Micio, Smicrines, Chremes.

In his: Gnipho, Phidylus, Phidippus, fortasse etiam Laches.

Omnia ergo haec nomina e vita cotidiana electa senibus notandis apta sunt, at non sunt nomina quasi loquentia propria significatione velut Euelpides, Pseudolus, quae ultro plerumque ficta sunt a poetis, sed totius generis propria. Quamquam concedendum est in nominibus ut Gnipho, Phido aliquid inesse, quod unius cuiusdam mores designet. Sed tales mores omnino senum comicorum sunt paucis exceptis, velut Micione Terenti Adelphorum.

Adulescentium nomina item bene Attica praeter Phaedromum (cf. Schmidt Herm. 37, p. 378) ad has stirpes pertinent:

ad *χαίρειν*: Chaerea, Chaerestratus, Chaeribulus.
ad *χάρις*: Charinus, Charisius.
ad *φαιδρός*:
Phaedimus, Phaedria, Phaedromus, Phaedrus.
ad *λαμπρός*: Lampria.
ad *φαίνω*:
Antipho, Clitipho, Ctesipho, Nicopho. (Phania).
ad *κλεινός*, *κλειτός*: Clinia. Clitipho.
Aeque boni ominis causa inditur nomen Eutychus.
ad *γοργός*: Gorgia.
ad *νίκη*: Niceratus, Nicomachus, Nicopho.
ad *χαρμή*: Charmides.
ad *φίλος*: Diphilus, Pamphilus, Philinus.
ad *ἐρατός*: Niceratus.
ad *μόσχος*: Moschio.

Philocrates magis senem decet cf. Phanocrates.

Omnia haec nomina vel vigorem floremque adulescentiae vel animi motus praecipue adulescentium proprios ut *χαίρειν* significant. Ex vita igitur ea nomina deprompta sunt, quae egregie toti adulescentium generi convenire viderentur.

Ergo certa ratio exstat in nominibus eligendis, alia nomina senibus, alia adulescentibus dantur. Sed ab hoc usu nonnulla abhorrere nomina iam vidimus p. 27. In quibus sunt, quae certo consilio ad notandos alicuius mores imposita

esse possint, velut Phidia, Chremes, alia cur contra usum adhibita sint, nescimus. Sed Menander eadem nomina Chaerestrati, nescio an Lampriae et senibus et adulescentibus, Parmenonis et adulescentibus et servis indit.

Matronarum quoque nomina omnia ex vita Attica sumpta sunt. Solum Crobyle aliunde non notum est.

Ducta autem sunt a stirpibus στρατός et νίκη: Nausistrate, Nicostrate, Sostrate, Phanostrate; Nausinice, Hipponice.

Sed etiam nomina eis dantur ut Myrrhine, Rhode, Philinna, (Crobyle), quae non ex duabus stirpibus composita sunt ut pleraque civium Graecorum. Cf. Wilamowitz Arist. u. Ath. II 178. Quae cum orta sint ex blanditia, magis in puellarum meretricumque usu placent scilicet in comoedia.

Nomina *puellarum*, quamquam Attica sunt (excepto nomine Pasibulae, quod fictum videtur per analogiam nominis Pasiphilae), eadem ratione ut meretricum *adulationis gratia* electa sunt velut: Plango, Glycera, Phanium; vel a *φιλεῖν* ducta: Antiphila, Pamphila, Philumena. Sed unum nomen Cratea magis rationem sequitur illorum muliebrium nominum, quae a virorum nominibus derivata sunt.

In omnibus his civium nominibus poetae ex Atticis nominibus elegerunt, quae certo generi praecipue convenirent, et ita nomina certi generis propria atque typica fecerunt.

Meretricum nomina (ca. 50), quamquam non omnia Attica sunt, tamen magna pars (17) eorum etiam civibus Atticis indebatur; sed 15: Anthracium, Bacchis, Gorgona, Gymnasium, Delphis, Dorcas, Drosis, Erato, Clymene, Magadis, Moschis, Myia, Palaesto, Parthenium, Pyrrha solum apud inferioris ordinis mulieres in titulis Atticis inveniuntur; omnia autem ex vita deprompta sunt, id quod etiam in pauca, quae aliunde non novimus, cadere verisimile est (9, quorum 2 Clonarium et Musarium in comoedia ipsa fuisse ex Etymologico Magno scimus, 7 apud sectatores solum comoediae tradita sunt: Aedonium, Cochlis, Cymbalium, Lyra, Pyrallis, Simmiche, Chloe).

Iam inspiciamus singulas nominum meretriciorum classes.

1) Haud pauca a plantis herbisque ducta sunt: Abrotonum, Myrtale, Myrtium, Rhode, Ampelis, Ampelisca, Clonarium, Chloe. Liceat hic afferre Drosis.

2) Ab animalibus derivata sunt: Aedonium, Chelidonium, Pyrallis, Myia, Herpyllis, Cochlis, Dorcis, Dorcas, Dorcium, Moschis, Moscharium, Leontium.

3) a patria: Delphis.

4) a ludis: Pythias.

5) a deorum nominibus cognominibusque: Bacchis, Leaena, Melaenis.

6) a Musarum Nereidum aliarumque mythicarum mulierum nominibus: Neaera, Hymnis, Erato, Musarium, Clymene.

7) a qualitatibus corporis: Simmicha, Anthracium, Pyrrha, Joessa, Malthace.

8) a moribus: Aeschrodora, Gorgona, Tryphaena, Philaenium.

9) a *φιλεῖν (ἐρᾶν)*: Antiphila, Pamphile, Philematium, Philumene, Philotis, Erotium.

10) a negotio musico: Cymbalium, Lyra, Magadidium.

11) Nomina obscoena sunt: Palaestra, Gymnasium.

12) blande indita: Corinna, Glycera, Glycerium, Thais, Chrysis, Chrysium, Chrysarium.

Frequentissima sunt inter nomina meretricia hypocoristica in *-ιον* exeuntia, cuius rei causam recte intellexit Priscianus, cum dicit (ap. Keil. Gr. Lat. II p. 148): „inveniuntur apud comicos feminarum quoque propria, quae in hanc terminationem diminutionis sive adulationis amatoriae causa proferuntur ut Glycerium, Philotium, Dorcium, Sophronium, Abrotonum“ et p. 215: „Chrysium, Leontium“. Idem invenimus argutius dictum Et. M. p. 782,45: *αἱ κόραι φιλοῦσιν ἐκλύτῳ φύσει κεχρημέναι εἰς κολακείας τρόπον πάντας μικροπρεπῶς προάγειν εἰς νεότητος κομιδῇ ἔνδειξιν. πολλὰ τοιαῦτα*

παίζεται ἐν κωμῳδίᾳ μέχρι καὶ αὐτῶν τῶν ὀνομάτων, καὶ μάλιστα εἰ τύχοι ἑταιρῶν προφέρεσθαι ὀνόματα ὡς ἡ Κλωνάριον καὶ Μουσάριον καὶ Λεόντιον καὶ τὰ τοιαῦτα. Non minus quam 19 meretricum nomina in - ium terminantia in nova comoedia eiusque sectatoribus invenimus haec: Aedonium, Anthracium, Glycerium, Gymnasium, Delphium, Dorcium, Erotium, Clonarium, Cymbalium, Leontium, Magadidium, Moscharium, Musarium, Myrtium, Philaenium, Philematium, Chelidonium, Chrysium, Chrysarium.

Cf. nostra nomina terminationis - i, velut Fritzi, Mizzi, quae saepe „adulationis amatoriae causa" eius generis mulieribus accepta sunt.

Meretricum igitur nomina iam in vita certae rationis sunt; poetae comici autem usum vitae cotidianae secuti sunt.

Ex servarum 30 nominibus[1]) plurima aliunde (ex titulis) mulierum inferioris ordinis propria nota sunt praeter haec 12: Archylis, Astaphis, Staphyle (sed Staphylus I G II 2862), Casina, Lesbia (sed *Λέσβιος* I G XII 4,1301), Miletis (sed Milesia), Mysis, Sibyne, Stephanium (sed Stephanio), Philtera (sed Philte I G II 4125), Nebris, Paegnium.

6 nomina etiam civibus Atticis indita sunt: Archestrata, Myrtile, Pythias, Phidylle, Philtera, Lyde.

Quod attinet ad nominum significationem, servarum non multum differunt a meretricum, ita ut plurima etiam meretricibus indi possint, nonnulla re vera dentur. Itaque pari ordine libet uti atque in meretricum nominibus.

1) A plantis (Lambertz II p. 14 ss.) nominantur: Casina, Myrtile, Astaphium, Staphyle.

2) ab animalibus (Lambertz II p. 12 ss.): Dorcas, Nebris.

3) a patria (Lambertz I p. 10 ss.): Dorias, Doris, Thessala, Lesbia, Miletis, Mysis, Syra, Phrygia, Lyde. — Mania. Lambertz II p. 25.

---

[1]) Cf. Lambertz, griech. Sklavennamen, 57. u. 58. Jahresber. d. k.k. Gymn. VIII zu Wien.

4) a ludis: Pythias. Lambertz I 37.

5) a deorum nominibus cognominibusque (Lambertz I p. 26 ss.): Bromia, Melaenis.

6) a Musarum Nereidum: nulla, nisi Doris hoc loco afferre mavis. Lambertz I 28.

7) a qualitate corporis: Tryphe. Lambertz II p. 9 ss.

8) a moribus (Lambertz II 3 ss.): Sophrone, Sophronium, Phidyllium, Canthara.

9) a *φιλεῖν*, cf. Lambertz II p. 23: Philtera.

10) a negotio musico: —.

11) obscoena nomina: —.

12) blande indita: Paegnium, Stephanium. cf. Lambertz II 16.

Segregata ab aliis habent locum nomina: Archylis, Archestrate non significatione servis apta, sed forte indita. Sub numeris 10. 11 exempla non inveniri nil mirum est. Sed notatu dignum est nomina a gentibus ducta servis maxime usitata esse.

E 39 autem servorum nominibus 7 aliunde ut servorum non sunt nota: (Dardanus), Epidicus, Cilix, Lampadio, Simalio, (sed *Σιμάλη* I G II 5,768 e), Strobilus, Phaniscus. 7 civibus quoque dantur: Dorus, Onesimus, Parmeno, Sannio, Simalio, Sosia, Phaedria.

Si nomina secundum significationem disponimus, servare possumus distributionem Photi (bibl. ed. Bekk. p. 532 b 35): *ὅτι οἱ κωμικοὶ τοὺς οἰκέτας τὸ μὲν πλέον ἀπὸ τοῦ γένους ἐκάλουν οἷον Σύρον Καρίωνα Μίδαν Γέταν καὶ τὰ ὅμοια, ἐκάλουν δὲ καὶ τὰ ἐξ ἐπιθέτων, ὡς ἀπὸ τοῦ χρώματος μὲν Πυρρίαν καὶ Ξανθίαν, ἀπὸ τοῦ τρόπου δὲ Παρμένωνα καὶ Πίστον καὶ Δρόμωνα . . καὶ ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἐν τῇ ὠνήσαντο τὸν οἰκέτην ἐξ οὗ καὶ τοὺς Νουμηνίας (Νουμηνίους?) ὠνόμαζον.*

1) *ἀπὸ τοῦ γένους* nominantur: Geta, Dardanus?, Davus, Dorus, Cario, Cilix, Libys, Lydus, Syriscus, Syrus, Phryx, Lambertz I p. 10 ss. — Manes, Mida, cf. Lambertz

I 25. Sagaristio, Sangarius, Sangarinus, Sangario, Sanga, Tibius. Lambertz II 25.

2) *ἐξ ἐπιθέτων* cf. Lambertz II 9 ss.: Donax, Sannio, Simalio, Xanthia, Pyrrhia, Stephanio, Phaedria, Phaniscus. Lambertz II 18.

3) *ἀπὸ τοῦ τρόπου* (Lambertz II 3 ss. 7 s.): Epidicus, Cerdo, Lampadio, cf. Lambertz II 17. Onesimus, Parmeno, Pistus, Sosia, Discus, Dromo, Strobilus.

4) *ἀπὸ τῆς ἡμέρας*: Numenius. Lambertz II 19.

Cf. ad servorum nomina etiam Donatum ad Andr. 226 et Strabonem VII 3,12 (p. 304): *καὶ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ἐπεπόλασε τὰ τῶν οἰκετῶν ὀνόματα Γέται καὶ Δᾶοι . . . ἐξ ὧν γὰρ ἐκομίζετο ἢ τοῖς ἔθνεσιν ἐκείνοις ὁμωνύμους ἐκάλουν τοὺς οἰκέτας, ὡς Λυδὸν καὶ Σύρον ἢ τοῖς ἐπιπολάζουσιν ἐκεῖ ὀνόμασι προσηγόρευον ὡς Μάνην ἢ Μίδαν τὸν Φρύγα, Τίβιον δὲ τὸν Παφλαγόνα.*

Poetae igitur comici in servis nominandis usum vitae Atticae secuti sunt, atque servorum nomina non comoedia, sed vita sollemnia facta sunt. Quodsi nobis ipsa comoedia in usum quasi typicum venisse videntur, id eo factum est, quod in fabulis comicis, in quibus servi gravissimas fere partes agebant, tantus numerus servilium nominum exstat. Ne id quidem poetae egerunt, ut nomina semper moribus apta eligerent velut Parmenonis Sosiae fidelibus. Sed *τὰ τυχόντα* ex vita deprompserunt. Unum hoc concedendum est poetas nonnulla servorum nomina praecipue atque ante alia elegisse, velut Davus in comoedia decies quater exstat.

Inter lenonum nomina Dorio, Sannio servorum, Sisymbras et Sisymbriscus meretricum nominationes sapiunt. Reliqua autem Ballio, Psyllus ex cognominibus ad ludibrium inditis facta videntur esse.

Militum nomina bene Attica sunt praeter Bias, nomen sane Graecum, Stratophanes, nomen aliunde non notum. Omnia propter significationem militibus conveniunt. Sunt autem ducta a radicibus *μάχη πόλεμος στρατός*: Di-

nomachus, Cleomachus, Polemo, Stratophanes, Strato, Sostratus.

a βία: Bias.

a θράσος: Thrasyleo, Thraso, Thrasonides.

a λέων: Leontichus, Thrasyleo.

Haec ergo nomina e vita deprompta, sed certae personarum classi propria facta sunt.

Parasitorum autem nominum Struthia et Chenida non sunt Attica, Autocletus revocari potest ad Atticum Autocles, Gnatho et Thero vere Attica sunt. Struthia et Thero ad petulantiam et arrogantiam spectant, item Chenida. Gnatho appellatur is, qui semper maxillas movet ad edendum, Autocletus, qui venit non vocatus.

Conclusio.

Iam paucis complectamur, quomodo comoediae novae nomina typica orta et stabilita sint. Invenimus in antiqua duas radices, e quibus hic usus nasci potuit. Nam et poetae antiqui iisdem certorum hominum nominibus iterum atque iterum usi sunt ad eadem vitia deridenda velut Timonis, et nomina loquentia finxerunt velut Lysistratae, ut ipso nomine partes personarum illustrarent. Illo usu poetae recentiores commoveri potuerunt, ut personis eiusdem indolis eadem semper nomina inderent, hoc ut nomina significatione apta personis quibus dentur eligerent.

Sed his rebus typica et loquentia discernuntur nomina: loquentia in singulos, in universos spectant typica; certos cuiusdam mores indolem designant loquentia, res quae totius classis propria sunt significant typica. In animum revoces

quaeso nomina Moschionis Lampriae: quilibet comoediae adulescens in vigore atque licentia aetatis versatur, nisi Phidia quidam segregatus ab aliis patris pecuniae nimis parcat. Simonis Chremetis: quisquis senex comicus non bona est forma atque tussit, nisi Philinus quidam in iuventutis consuetudine perseveraverit. Nausinice Myrrhine unaquaeque mulier Attica nominari potest, Pamphilae Glycerae omnes sunt puellae meretricesque et comoediae et vitae. Xanthia Cario erat quivis servus barbarae gentis externaeque speciei. Parmenones Dromones eos esse voluerunt domini. Recte igitur Udalricus de Wilamowitz novae comoediae nomina parum coloris habere dicit, Textgesch. der Bukol. p. 135.

At non solum principia typicorum nominum in antiqua comoedia cognoscimus, sed etiam nomina senum et matronarum plane in novae comoediae modum usurpata. Quorum inprimis ea digna sunt quae notentur, quae in comoediae usu manserunt: Laches (Lys. 304), Smicythio (Vesp. 401, Eccl. 46) et Smicythus (Eccl. 294), quibuscum conferenda sunt Micio et Smicrines, Phido (Nub. 134), Philinus (Eupol. fr. 206), Chremes (Eccl. 477), Chremylus (Plut.), Myrrhine (Lys.), Sostrate (Vesp. 1397. Eccl. 41), Philinna (Nub. 684).

Ex media comoedia libet adicere vel iterare: Phido (Antiph. fr. 191), Chremes (Antiph. fr. 191). Atque tunc id factum est, quod nos quomodo sensim factum sit, ex paucis fragmentis cognoscere iam non possumus: Antiphanes fr. 191 sibi conscius est haec senum nomina Chremetem Phidonem propria esse comoediae, aeque atque tragoediae Peleum Teucrum.

Adulescentium quoque nomina tum in usum venerunt, velut Phidia (Antiphan. fr. 235) et Pamphilus Eubuli. Sed ex matronarum puellarumque nominibus nullum exemplum afferre possumus.

Atque haec de civium nominibus, iam restant meretricum servorumque. Etiam meretricia nomina inde ab antiqua comoedia habemus, et unum quidem novae comoediae cognatum est: Elaphium. Mediae autem comoediae pleraque certarum illius aetatis meretricum sunt. In nova demum comoedia ficta nomina meretricia percrebrescunt. Sed iterum moneo haec nomina non consilio atque studio poetarum comicorum in usum quasi typicum venisse, sed vitae consuetudine, qua certa nomina si non solum, at praecipue meretricibus propria erant.

Maxime perspicua res est in servorum nominibus, quae iam in antiqua comoedia ab initio inveniuntur, atque ea ipsa, in quibus utendis comici poetae semper perstiterunt: exstant in antiqua comoedia: Cario, Manes, Mida, Xanthia, Parmeno, Pyrrhia, Sico, Sosia, Tibius, Phryx; in media comoedia: Cario, Manes, Pistus, Syrus. Ergo ex ca. 40 novae comoediae nominibus servorum 11 (Cario, Manes, Mida, Xanthia, Parmeno, Pistus, Pyrrhia, Syrus, Sosia, Tibius, Phryx) iam antea in comoedia usurpantur, quorum 9 iam in antiqua, 2 (Pistus et Syrus) demum in media occurrunt.

Servarum quoque nomina iam in antiqua comoedia exstant velut Mania, Syra. Novae autem comoediae ca. 30 servarum nominum 4 (Dorcas, Dorias, Doris, Myrtile) meretricum mediae nomina in animum revocant, 2 (Mania, Syra) servarum antiquae.

Sunt autem nomina meretricia et servilia saepissime non infantibus a parentibus indita, sed adultis vel a volgo vel a dominis tributa eo ipso consilio, ut earum indoles vel eorum quaestus notaretur[1]). In his igitur usus comicorum omnino non distat ab usu vitae cotidianae. At ut civibus alia nomina inderentur adulescentibus, alia senibus, fieri non potuit; ergo haec solum civium nomina, senum matronarum

[1]) Cf. Wilamowitz Aristot u. Athen II 178: „Die hetären führen wahlnamen, auch wenn sie freie sind, und keineswegs bloss als tituli“.

adulescentium puellarum, usu ipsorum comicorum typica facta sunt.

Restat ut moneam recentiores quoque poetas, Shakespearium, Molierum, Lessingium dico, novae comoediae usum haud raro secutos esse. Exempla nonnulla affero ex Shakespeari dramatibus: notissimus est ille Falstaff et persona et nomine typicus tota cum familia cf. Heinr. IV, 1.2, Lust. Weib., cuius servi Nym (Lust. Weib., Heinr. V), Bardolph (Lust. Weib., Heinr. IV 1.2, Heinr. V), Pistol (Lust. Weib., Heinr. IV 2, Heinr. V), eius mulier Mistress Quickly (Heinr. IV 1.2. Heinr. V., Lust. Weib.). Lucius servus (in Timon, Jul. Caes.), Luce serva (Kom. d. Irr.), Lucetta serva (beid. Veron.). Puellarum nomina: Viola (Was ihr wollt), Violenta (Ende gut, alles gut), Julia Juliet (Maass für Maass, Romeo u. Julie, beid. Veron.).

Ex Molieri fabulis affero nomina servorum: Ergaste (L' Etourdi, L' Ecole Des Maris), Lisette (L' Ecole Des Maris, L' Amour Médecin).

Adulescentium: Eraste (Le Dépit Amoureux, Les Facheux, Monsieur De Pourceaugnac).. Clitandre (L'Amour Méd., George Dandin, Femmes Sav. Misanthrope). Puellarum: Lucile (Le Bourg. Gentilh., Le Dépit Amoureux), Lucinde (L'Amour Méd., Le Médecin Malgré Lui).

Senis: Géronte (Le Médecin Malgré Lui, Fourberies De Scapin).

In Lessingi fabulis prioribus servorum nomina typica sunt: Lisette (Junge Gelehrte, Juden, Freigeist). In eisdem fabulis ministri nominantur Anton, Christoph, Johann. Quae nomina ex vita deprompta quamquam unicuique honesto homini indi possunt, tamen in primis ministris conveniunt.

Index nominum.

Vita.

Petro Gatzert Elisa Kromm parentibus natus sum Carolus Gatzert a. d. VIII. Kal. Mart. anni 1890 Niddae in oppido Hassiae. Ibique in ludo publico atque civili superiore quam vocant schola eruditionis elementis instructus anno 1903 gymnasium Budingense migravi. Vere anni 1908 maturitatis testimonium adeptus in albo civium academicorum Heidelbergensium me inscripsi atque studiis philologicis germanicis musicis me dedidi. Duobus semestribus Heidelbergae peractis, proxima autem aestate Berolini perducta Gissis studia ad finem perduxi.

Docuerunt me viri docti:
Boll, Brandt, Braune, v. Duhn, v. Domaszewski, Gerhard, Kahle, Thode, Uhlig, Windelband, Wolfrum Heidelbergenses. Diels, Herrmann, Kretzschmar, Er. Schmidt, v. Wilamowitz-Moellendorff Berolinenses. Behaghel, Collin, Groos, Immisch, Koerte, Messer, Siebeck, Trautmann, Walde, Watzinger Gissenses.

Omnibus eis magnam habeo gratiam, inprimis Alfredo Koerte, qui me ad hanc quaestionem suscipiendam commovit et in opere conficiendo benigne adiuvit.
